PALMA CHRISTIANA,

SEV,

Speculum veri ſtatus Eccleſiaſtici, ſub lege Naturæ, & lege Moſis, & inſtitutione Chriſti, & traditione Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorum, & conſuetudine Primitiuæ Eccleſiæ ab Apoſtolis ad Patres Nicenos, & inde apud Aphricanos reſpuentes iugum Antichriſti tempore Aureli Carthaginenſis, & Auguſtini Hipponenſis.

Demonſtrata iuxta ſeptem canones; Apodicticum, analogicum, harmonicum, æquitatis, ſpiritualem, iuris primæui, & iuris vniuerſalis. Vnde verus typus Reformationis deſumi poteſt, ex antiquorum veritate potius depromendus, quam ex nouorum authorum vanitate.


Ad ſereniſſimam Reginam Angliæ.

Authore Frigeuilleo Gautio.



LONDINI,

Excudebat Iohannes Wolfius. 1593.


LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK



AD SERENISSIMAM ELIZABETHAM

REGINAM ANGLIAE, FRANCIAE, ET HIBERNIAE.



Ocet Daniel, Antichristi regnum duraturum, donec antiquus dierum accedens eum indicet. Quis est antiquicr antiquitate ipsa? Aut quis iudex æquior ipso iure? Antiquitas & ius, & ius antiquitatis, seu antiquitas veri diuini iuris iudicabit, simulq; destruet Antichristum. Constantinus magnus tulit arma draconis sub rubra cruce. & Draco dedit potestatem bestiæ. Expugnabit Michael Draconem gladio oris sui. Solet Magistratus gladium gestare, quia gladio iuris malos coercet, bonos tuetur: gladius huius iuris diuini, est gladius procedens ex ore Michaelis, quo Draco expugnabitur. Ideo nos quæsiuimus iura diuina antiquissima, repetita a lege naturæ, a lege Mosaica, ab institutione Christi, ab ipsis Apostolis, a viris Apostolicis, qualis erat Polycarpus, & tota Primitiua Ecclesia, ad Patres vsque Nicenos, & ex eo iure ostendimus regnum Antichristi in ecclesia vere Christiana sustineri non posse. Presbyteros

teros vero, & Episcopos, & Primates, ex iure diuino veteris & noui fœderis locum habere. Nam D. Paulus in epistola ad Titum, Tito dat πᾶσαν ἐπιταγὴν, vt corrigat ea quæ desunt in tota insula Creta, & in singulis oppidis constituat presbyteros, eum primatem toti insulæ præficiens, vt alia innumera argumenta omittam. Ait Apocalypsis, eos qui de bestia triumphabunt, gestaturos palmas in manibus suis, & cantaturos super Citharis canticum Mosis & Agni, id est, celebraturos harmoniam iuris Mosaici & Christiani, nos septem canonibus apodixeos, analogiæ, harmoniæ, æquitatis, spiritus, iuris primæui, & iuris vniuersalis, hunc concentum celebramus, & ideo palmam triumphi de bestia fidelibus offerimus. Nouimus enim ex hac palma indubitatam de bestia victoriam & triumphum pendere. Ius enim diuinum, legitime expositum, expugnabit Antichristum, & omnes contrarias sectas, hic est serpens spiritualis Mosaicus, deuorans serpentes Aegypti spiritualiter dictæ. Hoc iure ostenso decem cornua quæ dederunt potestatem bestiæ, eam reddent nudam & desolatam. Non est obscurum decem fuisse Imperatores persequutores Christianorum: hæc sunt decem cornua bestiæ, & si imperatores pro imperio sumantur, decem cornua dederunt potestatem bestiæ, quoniam Imperium in Constantino magno dedit potestatem bestiæ, & decem cornua bestiam reddent nudam & desolatam, cum Imperatores agnoscent Papam nullo iusto titulo, sed fraude, & vt furem vsurpare ea quæ ad Imperium spectant, & ij quorum possessiones Antichristus iniuria occupat, eas repetent, & resument ab eo, et cito.

Quid si Imperatores cum Principibus Italiæ antiquam libertatem primitiuæ ecclesiæ sub Concilio Niceno defendendam susciperent aduersus Antichristum, & fœdus inirent, vt sua quisque resumeret: nonne tunc decem cornua, quæ potestatem dederunt bestiæ, eam redderent nudam & desolatam? Atqui

 iam

iam contra Hispanum armantur, cur non poterunt contra Papam armari, vt Dei verba impleantur?

Certe victoria de Antichristo iam parta esset, nisi obstitisset quorundam rigor, qui non modo Episcopatum vniuersalem expellere volunt, sed etiam Episcopalem & Archiepiscopalem: quorum hominum inepta sententia non minus est refellenda, quam impia Antichristi, quoniam non est minus contraria statui ecclesiastico, a Christo instituto, & ab Apostolis tradito, & iuri & rationi, nec minus perniciosa futura si locum haberet. Quia vero Maiestas tua innumera egregia pro Christianis aduersus Antichristum præstitit facinora a nobis ex parte celebrata, in nostra palma poetica die Dominico Palmarum anno præterito, nunc eodem recurrente, aliam palmam iterum dicare statuo, vbi tua facta denuo celebrem. Inter cætera hoc maximi momenti est in nostro politico Reformato commemoratum, quod Tua Maiestas verum conseruauit Ecclesiæ statum, iuxta typum ab Apostolis traditum. Ideoq; serenißimam Maiestatem tuam non possum ego non multum celebrare, & sicut in mea palma poetica, sic & nunc in mea palma Christiana confiteri inter totius mundi & totius æui Principes Palmā Elizabethæ deberi. Tribuat Paris pomum Veneri precium formæ, Frigeuillaus Elizabethæ palmam in premiū virtutis consecrabit. Cæterum quanto cum labore ego soleam literis operam dare, hoc possunt ij narrare apud quos versatus sum. Neq; habeo apud Maiest. tuā testem digniorem aut propinquiorē, Illustrißimo Domino Hauardo Nauarcho, T. M. Consiliario grauißimo, de republica Anglicana benemerito, in cognitione rerum politicarum & variarum regionum commendatißimo, & eorum quæ ad pacem & nauale bellum spectant instructißimo, T. vero Maiestatis obseruantißimo. Nec omittam Illustrißimam Dominam Catarinam Houardam, quæ hoc triplici charactere

ractere commendari potest, dilectione erga Patriam, Principē, & Maritum, pietate erga liberos, prudenti cura & prouidentia œconomica erga domesticos, quorum pia cura in liberis apparet, In Domino Willielmo ingenio & dexteritate excellenti prædito, & Mineruæ & Marti aptissimo pro sua Regina & meo Rege egregia vt spero præstituro. Eius frater, Tuæ Maiestati interdum rebus Marticis vtilis vt spero erit, Mineruæ non æque ac frater deditus. Præstantia filiarum in tota Anglia notissima est. Hos habeo egregios mei assidui laboris testes. Cæterum quanta industria, & circumspectione tractatus hic sit collectus & vestigatus, opus ipsum loquetur. Ea de re T.M. iudicet, deinde omnes boni. Valeat, & sicut hactenus triumphauit, sic & perpetuo triumphet, & sub Palma populum Dei altera Debora iudicet, multos & innumeros per annos.

T.M. fidelissimus & deditissimus

Frigeuillæus Gautius.





Ad Palmam Christianam
Præfatio.



EST clarior dies in solis ortu, quam in primo crepusculo, sunt radij solares validiores in meridie, quam sub ortu. simile incrementum fuit huius diei sexti iudicij quo Antichristus destruetur, & fideles omnino liberabuntur ab ipso iugo. sub Wiccleffio cœpit, sub Iohanne Hussio & Ieronymo Pragensi pergebat, sicut & sub Waldonibus, & ijs qui erant Cabrieris & Merindolij, & in valle Angronia, clarius cœpit illucescere sub D. Luthero, D. Melancthone, D. Bucero, D. Farellio, D. Caluino, D Beza, & similibus. Nunc restat vt residuæ magis ac magis dissipentur tenebræ, & dies ad suum meridiem feratur. Certe ij qui erant in Cabrieris & Merindol, & valle Angronia, cum audirent Euangelium in Heluetia & Geneua prædicari, libenter ab illis doctioribus directionem suorum negotiorũ in melius admiserunt, & hoc pulchrum fuit, simpliciores absque inuidia admiserunt Doctiorum correctiones, & Doctiores absque exprobratione ignorantiæ aliorum negotia disposuerunt. Nunc idem faciendum restat, vt ad perfectiorem lucem feramur, at homines videntur non esse ita dispositi, vt meliora facile admittant: potius enim quærunt aliorum

scripta

ſcripta deſtruere, quam ab ipſis inſtrui, & interdum fit, vt ij qui alios conantur deſtruere, ſeipſos deſtruant. Nonimus enim quot ſchiſmata & diſſidia orta ſint in varijs Reformationis membris. Vnde hoc niſi ex cynica inuidia, qua ſe inuicem Doctores mordere quærunt? ſed interdum limam rodunt. Deberent iunctis viribus Antichriſtum expugnare, & ipſi inter ſe digladiantur, & interim ad propriā perniciē Antichriſto inducias concedūt, vt ſi canes venatici ſeſe inuicē dilacerarent, & interim fera effugeret. Aliqui vellent tamen Antichriſtū hoſtem, & proprios fratres ingratè expugnare, credant mihi, duos ſequuntur lepores, neutrū capient. Ne Hercules contra duos. at aliqui putant ſe ſufficere aduerſus tres, qui vix vni ſufficerent. Video quoque quoſdam qui in politia eccleſiaſtica videntur occulatiſſimi, & dū affectant oculos lynceos, ſumunt talpæos, in polititia eccleſiaſtica plane cœcutiunt: In doctrina quoque florere videntur, tamen ego ſolidiorem, exactiorem, & puriorem cupio, etiamſi eorum doctrinam non omnino reſpuam. Et certe ſi polititia eccleſiaſtica ſit ſtatuenda, vnde deſumetur quæſo? ſunt multi generoſi & mercatores, & mechanici, qui putant ſe poſſe politiæ eccleſiaſticæ regulas condere, & ſuam opinionem ſufficere ad componendam eccleſiaſticam politiam. Credite mihi, nec vos poteſtis hoc, nec veſtri Doctores. O quoties ego legi & audiui quoſdam dicentes & docentes, non oportere ſeruire Deo ſecundum hominum traditiones, ſed ſecundum Dei mandata! O quoties dolui, cum viderem eoſdem ſuas interim ſubdere traditiones obſeruandas, quaſi nullæ eſſent hominum traditiones quā Papiſticæ! Certe aut hominum traditiones ſunt gene-

raliter

raliter respuendæ, aut causa aliqua subesse debet, cur potius horum quam illorum hominum traditiones admittantur. Apostolorum traditiones iure amplecti debemus, at nouis traditionibus quo iure subijciemur? facile est se suo iugulare gladio. si enim hominum nouorum traditiones non sint admittendæ, ad antiquum statum ecclesiæ Apostolicæ est recurrendum, vt ex eo sumatur typus veræ ecclesiæ legitime Reformandæ. Aut enim noui Doctores sunt præstantiores Apostolis, aut Apostoli sunt nouis Doctoribus excellentiores. Ostende mihi Doctorem aut Doctores, præstantiorem aut præstantiores Apostolis, tunc ego eius traditiones præ Apostolicis amplectar. At si Apostoli præstent, quærenda est antiquitas traditionis illorum, ea vna vestiganda, illa perscrutanda, in ea insistendum, ei indiuulse adhærendum. Num tu putas te posse vincere Antichristum simul & fratres tuos? Imo Apostolorum traditio vincet Antichristum, & te, si te ei opponas, sic enim antiquitas Christianæ ecclesiæ euertet Papatum, ex quo antiquus dierum in throno sedens iudicabit, & iudicio suo destruet Antichristum. Ergo quæramus iudicia antiqui dierum, id est, antiqua iura Christiana, ea enim Papatum euertent, non nouæ hominũ opiniones, & ex vento concepta dogmata. si hominum etiam doctissimorum opiniones sequaris, ex vno extremo in aliud incides, iuxta illud; Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. A superstitione Antichristiana detruderis in rigorem Pseudochristianum. Fugis Antichristum, vide ne Pseudochristos amplectaris. Quis est Pseudochristus, nisi is qui opiniones suas pro oraculis accipiendas & prædicandas proponit? Ne temere insurgas contra pa-

ſtores tuos,ſed vide ne eis nimis tribuas, & perſonarum reſpectu veritatem reſpuas. Ne probes ea omnia quæ ipſi probant, nec leuiter improbes ea omnia quæ ipſi improbāt, ſed omnia perpendas,habes lapidem lydiū. Ego certe neque contra Paſtores quos alij nimis ſuperſtitioſe colunt ferri volo,ſed neque ipſis nimis tribuam, noli eis credere, quandoquidem mihi ipſi non credo, homo ſum humani a me nihil alienum puto,at verbum Dei eſt Diuinitus inſpiratū,ei vnī credamus. Antiquiſſimi Patres etiam qui Apoſtolos proxime ſubſequuti ſunt,vt Polycarpus,Policrates, Irenæus, Cyprianus, & ſimiles,abſque vllo præiudicio poſſunt antiquum ſtatū Eccleſie Chriſtianſi exponere, ſicut & Euſebius, & Patres Niceni,& ipſi Aphricani qui vera iura eccleſiaſtica contra Romanos vſurpatores ſuſtinuerunt, nec iugum Antichriſti ſubire voluerunt. Certe ratio poſtulat,vt ij qui Apoſtolis erant propinquiores in ſæculo puriori verſarentur, quam ij qui diu poſtea ſubſequuti ſunt ſub nocte & tenebris Antichriſtianis, aut qui nunc ex illa nocte excitantur. At qui nunc viuunt tam ex verbo Dei quam ex traditione Apoſtolorum, & praxi primitiuæ eccleſiæ plane poſſunt verum typum elicere eccleſiæ reformandæ,ſi enim reſtituatur antiqua libertas Chriſtiana,& conſeruentur priſtina eccleſiæ iura, quæ ex canonibus Apoſtolorum & antiqua eccleſiæ conſuetudine cuſtodiebantur in Concilio Niceno, & puritas doctrinæ quæ tunc erat,euaneſcet ſtatim Antichriſtus, qui apud Aphricanos ex Concilio Niceno excluſus fuit. Quæramus quoque eandem puritatem doctrinæ quæ tunc erat,& ſuperſtitio Antichriſtiana abijciatur. Ne vero quis præſumat ex proprio cerebro & opinionibus

ina-

inanibus Antichristum depellere, aut aliam viam statuere, tutiorem ea quam Apostoli docuerunt, hoc enim non fiet neque vnquam stabilietur. Certe Babylon mater confusionis corruet, & magno cum impetu confringetur, at nemo debet existimare confusionem vnā posse aliam expellere, vt interdum clauus clauum pellit. Est status Episcopi vniuersalis fundamentum Babylonicæ confusionis, ex quo Bestia dicitur gestare mulierem Babylonem. Expellatur ergo vniuersalis Episcopus, qui contra ius diuinum, & consuetudinem primitiuæ ecclesiæ, & traditionem Apostolorum, & inuiolabilia decreta Nicena, ambitione intrusus fuit. At interim aliam cōfusionem æqualitatis pastorum nouam', & antiquis sæculis penitus inauditā non admittamus. Nouimus quā pernitiosum fuit declinare ad extremum ambitionis eius qui episcopatum vniuersalem arripere præsumpsit, ex eo cautiores fiamus, & metuamus aliud extremū ex hypocrisi aut cæco zelo eorū qui confusionem æqualitatis pastorū inducere conantur. Ego certe ad extrema non facile feror, nec facile a media æquitatis via dimoueor. Sat scio multos esse hoc tempore aut ignaros, aut sciolos, qui putant se posse pastores adæquare, & ea statuere technis & ambitione in statu ecclesiastico, quæ ex Dei verbo probare nequeunt. Ne te zelus incircunspectus decipiat. Verbum Dei episcopos constituit. *1. Tim. 3. Tit. 1. & 2. Act. 20. Apoc. 2. 3. & 4.* quinetiam primates vt Titum quem toti Insulæ Cretæ præfecit D. Paulus, vt constat ex epistola Titi, & confirmatur ex Dorothei Synopsi. Et si testimonia antiquorum patrum produceremus, essent innumera statum episcoporum & primatum confirmantia, etiam ipsi Apostolorū canones, & histo-

riæ ecclesiasticæ antiquissimæ, & decreta Nicena & Antiochena. At neque status episcopi vniuersalis, neque ęqualitas pastorum constat ex iure Diuino, seu Dei verbo, aut ex praxi antiquæ ecclesiæ, aut canonibus Apostolorum, aut decretis Nicenis. Ea quę certa sunt sequamur, obscura minime amplectamur. fides non debet esse dubia, sed ipsa habet indubitata fundamenta, non quærimus dubiam salutem, dubiam ergo viam non sequamur. Sat nouimus Apostolos constituisse innumeros episcopos, vt Timotheum Ephesi, deinde episcopos ab Apostolis constitutos, ordinasse presbyteros, vt Titus ordinauit presbyteros in vrbibus Cretæ, presbyteros quoque tunc prædicasse, donec in Alexandria tempore Arrij cessaret presbyter prædicare, & nunc sub Papatu presbyteri non prædicant, sed canunt, ita vt nomine sint presbyteri re ipsa cantores. At tempore Apostolorum operabantur in verbo & doctrina. Ea non sunt obscura aut incerta, cur potius ijs certis rebus non insistemus, quam nobis fingemus chimeras politiæ, ex hominum phantastico nutu & populari ignorantium applausu? Quæso quis constituit politiam Israelis? num homines? Imo Deus ipse. Deus quoque nunc loquatur & homines taceant. Vbi sunt Doctores qui ex seipsis leges condere in ecclesia præsument, vt aut hoc statuant aut illud abrogent. Num maiores sunt D. Paulo? Ipse ex se noluit aliquid præcipere, quod Dominus non præcepisset. Cur ij ex seipsis aliquid statuere presument? D. Paulus ad statuenda iura ecclesiastica induxit testimonia antiqui fœdoris. *1. Cor. 9.* & tu præsumes ex teipso euertere ea quę D. Paulus stabilire conatur? Sed esto, nū Deus hoc patietur? Quis poterit Deo persuadere, vt admittat

mittat nouos homines in consilium, ad euertendũ verbum suum antiquitus prolatum? Multi damnant fures, & sacrilegium committunt. Ignorantia facti excusat, nõ ignorantia iuris. Et ego multos video qui cæcutientes & ignorantes iura diuina, sacrilegia committunt, & alios ad sacrilegia sub prætextu pij zeli inducunt. Quamnam vero rationem coram Deo sint reddituri, Deus nouit. Cæterum ego quosdam noui, qui apud plebæios magnum nomen adepti sunt eo tempore quo zelus abundabat, scientia vero erat perexigua, & interim varia scripserunt, modo vera, modo vero similia, aliquantulũ declinantes, nunc vero ne nomini suo detrahant, ea quę scripserunt cum veritate minus congrua mordicus sustinere conantur. Melius esset vt ea dirigerent. Melius egit Augustinus se retractans, quam si in errore perstitisset. At hoc tempore plures sunt, qui Nestorium & similes imitari conantur in pertinacitate hærentes & in luto, quam Augustinum. Metuunt si se retractent, ne nomini suo detrahant. Verum si se non retractent, detrahunt veritati, & ipsi malunt veritati quam sibi detrahere. Mirum est eos non videre rei consequentiam, quæ tandem ipsis & suis in perniciem cedet. Melius esset vt omnia in melius dirigerent, & ea in re vterentur consilio amicorum, quam recusare opem bonorum. Certe sæculum hactenus in tenebris fuit, at nunc parturit veritatẽ, & quæ occulta sunt aperientur, & fortasse tunc quorundam nuditas apparebit. Ego veritatem dicere conatus sum, ea acquisiuit mihi inimicos, ita obsequium amicos, veritas odium parit. At magna voluitur periodus, & insignis imminet catastrophe. Et tempus veniet in quo ij qui nunc nocere quærunt, egebunt ea quam nunc re-

ſpuunt directione. Sero ſapiunt Phryges. vtinam ij mature ſaperent, facile eſſet eorum næuos prętéritos pallio charitatis obtegere, & mala futura permulta prœoccupare. Aliqui tamen mirantur, cur ego eorum vanitatē non ſequar. Ego certe malo ad futuram lucem aduolare, quā præſentibus tenebris inſiſtere, aut ad præteritas peruerti. Ea prę̨uideo, quæ ſi alij prę̨uiderent, meum exemplū ſequi vellent. Ea iactant hoc tempore Doctores vt egregia, quæ ſi viuant pudebit eos talia ſuſtinuiſſe clariore accidente lumine. Mulier parturiens doloribus circunducitur, ſæculum hoc doloribus & varijs laboribus & tumultibus circunductum, aliquid egregij parturit. Deus regnare vult, & vt regnet, neceſſe eſt vt iura ſua obſeruentur, & omnes traditiones humanæ, tam antiquæ, quā nouæ, aboleantur, & vt veritas innoteſcat. Ego quæ poſſum ad illum finem produco, & homines moneo vt idem agant. Et qui non poterunt, ſaltem veritati temere non contradicant, ſin minus, caueant, ne in lapidem offendiculi incidant. Plebeios moneo, vt ea curent, quę ad conſcientiam ſuam ſpectāt, videlicet vt ſe ſancte gerant, & in charitate ſe exerceant, in ijs vero quæ ad ſtatum eccleſiaſticum ſpectant ſeſe non immiſceant. Bethſamitæ fuerunt a Deo percuſſi, eo quod prę̨ſumpſiſſent inſpicere arcam Domini, quam ſoli ſacerdotes cuſtodire debebant. Relinquant ergo plebeij conſimili ratione ſacerdotalia ſacerdotibus, & ijs quos Deus ſingulari doctrinę charactere inſigniuit, ne ſibi iudicium acquirant. Non ouibus dedit Deus curam paſtorum, ſed paſtoribus curam ouium. Vbi ergo tibi datur venia audiendi verbum Dei pure prę̨dicatū, & nemo te ſubijcit idololatriæ Antichriſtianæ, & potes ſanctiſſime nemine obſtante viue-

re,cum omni conſcientiæ libertate, cur ijs non contentus pateris ferri contra tuos paſtores verum ſtatũ eccleſiæ ignoranter incuſans? Qui te ſeducunt,pœnã ferent, & interim tu fortaſſe non liberaberis. Agnoſcamus eos, quos deus cõſtituit.Et mercator ea corrigat quę ad mercaturam ſpectãt, tractent fabrilia fabri,eccleſiaſtica vero eccleſiaſticis relinquant. Nam vix ſummi Doctores poſſunt de eccleſiaſtica politia recte diſſerere, quãto minus mercatores & illiterati homines,aut ſcioli omnium perniciosiſſimi? Nam ex ſciolis hæretici perpetuo & ſchiſmatici exorti ſunt. Recte monet D.Beza in ſuo opuſculo contra D. Sarauiam,vbi ait ſe nolle Geneuenſiũ politiam eccleſiaſticam alijs prę ſcribere,eſſet enim prę ſumptio.Antea noueramus quid poſſet, quid vellet non ita plane innoteſcebat,recte vero agit, quia prudentiæ eſt, quùm ea non poſſumus quę volumus,vt ea velimus quę poſſumus. Gloria Dei apud Ezechielem oſtenditur in animalibus quorum ſpiritus erant in rotis plenis oculis,quid circumſpectius rota oculis plena, tales erãt cherubini ſuſtinentes gloriam Dei.docet hoc Doctores qui gloriæ Dei inſeruiunt, debere eſſe vndiquaque circunſpectos, vt exponentes locum vnum ſcripturæ in alium non impingant, ad talem circunſpectionem ſuſtinendã magno opus eſt labore, nec volentis eſt, neque currentis,ſed Dei miſerentis. Sed interim ab effectis agnoſcetur quinam ſint circumſpectiores, & qui cæcutiunt prę incircumſpectione probatio veritatem indicabit. Deus vero exitum dabit iuxta antiqua promiſſa ſua, & ea ſtatuet quæ recta ſunt,& contraria euertet. Et diſſipatis tenebris quæ fruſtra contra lucem incraſſantur, hanc auroram ad ſuum perducet meridiem.

re, cum omni conscientiae libertate, cur iis non conceda-
tis pateris ferri contra suos pastores verum statum eccle-
siae ignoranter inculpans: Qui te seducunt, poenam ferent;
& interim tu forsan non liberaberis. Agnoscamus eos,
quos deus constituit. Et mercator ea corrigat quae ad mer-
caturam spectant, et faciat faber fabrilia, ecclesiastica vero
ecclesiasticis relinquant. Nam vix summi Doctores pos-
sunt de ecclesiastica politia recte differere, quanto minus
mercatores & illiterati homines, aut scioli omnium per-
niciosissimi? Nam ex sciolis haeretici perpetuo & schis-
matici exoriuntur. Recte monet D. Beza in suo opuscu-
lo contra D. Saraviam, ubi ait se nolle Genevensium poli-
tiam ecclesiasticam aliis praescribere, esset enim praesum-
ptio. Antea noveramus quid posset, quid vellet non ita
plane innotescebat; recte vero agit, quia prudentiae est,
cum ea non possumus quae volumus, ut ea velimus quae
possumus. Gloria Dei apud Ezechielem ostenditur in
animalibus quorum spiritus erant in rotis plenis ocu-
lis, quid circumspectius rota oculis plena, tales erant che-
rubim sustinentes gloriam Dei, docet hoc Doctores qui
gloriae Dei inserviunt, debere esse undique circum-
spectos, ut exponentes locum unum scripturae in alium
non impingant, ad talem circumspectionem sustinendam
magno opus est labore, nec volentis est, neque currentis, sed Dei miserentis. Sed interim ab effectis agnosce-
tur quinam sint circumspectiores, & qui circumspe-
cti in circumspectione probatio veritatem indicabit. Deus
vero exitum dabit iuxta antiqua promissa sua, & ea sta-
tuet quae recta sunt, & contraria evertet. Et dissipatis te-
nebris quae frustra contra lucem incrassantur, hanc au-
roram ad ipsum perducet meridiem.



Palma Christiana.

Pars 1.

CAP. I.

Septem legibus hæc scripta subijciuntur, & illis veluti obsignantur.



Viuslibet artis artifices norunt instrumenta sua, cur soli Theologi ignorabunt instrumenta quibus debent ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Norunt Geometræ sua στοιχεῖα, suam apodixin & analogiam, sua denique instrumenta, vt regulam, circinum, gnomonem &c. Nouit quoque sacra Theologia στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων θεοῦ. Cur ergo eius στοιχειῶται non quærent eorum apodixin & analogiam, & reliqua adminicula ad legitimam tractationem ipsius spectantia? Est verbum Dei septies probatum vt aurum, Psalm. 12. Cur eius explicatio septies non probabitur, cum auro grauior & preciosior esse debeat? Ego certe nolo aliorum scripta septem legibus & canonibus subijcere, etiamsi iure aliquo possem, at aliorum operum me iudicem constituere non præsumo, mea vero scripta, quæ nunc propono aut in posterum proponam, quandocunque aliquid probare aut statuere voluero, septem canonibus & perpetuis legibus subijcio vt iuxta illas examinentur & probentur septuplici probatione, & agnoscantur ex septuplici charactere, & ijs veluti septem sigillis comprobata inueniantur, vt ita verbum Dei & volumina foederis exponantur via analytica, solutis his veluti septem sigillis. Nouimus enim verbum Dei quod probatur septuplici probatione, esse librum obsignatum septem sigillis, quænam illa sint exponere non præsumo, at sigilla quibus hanc doctrinam obsignatam exhibeo, explicabo.

Testatur D. *Paul* 1. Cor. 2. 4. sermonem suum & prædicationem suam non fuisse in verbis persuasorijs sapientiæ humanæ, Sed in ἀποδείξει spiritus & potentiæ. Docet se non fuisse vsum humanæ sapientiæ persuasione, sed demonstratione spiritus scientiæ & sapientiæ, qui est spiritus Dei. *Jsa.* 11. Itaque agnouit D. *Paul.* duplicem esse prædicandi viam, persuasionis scilicet, & demonstrationis: Se vero adhæsisse demonstrationi quæ est ex Spiritu Christi, & est certa & ἀψευδὴς docendi ratio, at se non sequutum fuisse persuasionem asserit. Persuasio via non minus apta ad decipiendum quàm ad docendum, est enim fallax & lubrica. Ideoque Galatas alloquitur idem his verbis, quis vos fascinauit quominus crederetis veritati? Nempe persuasio. Eos deceperat persuasio quia fallax est, at demonstratio est vera. Est enim necessaria & analytica argumentatio ex primis & veris seu ex principijs & elementis, quales sunt demonstrationes Elementorum Euclideorum, quæ tam

exactæ sunt, & tam certæ, vt nemo potuerit ab hinc tribus mille annis in ipsis vnam vel minimam ψευδογραφίαν inuenire, aut contradictionem. Qui fit igitur vt Doctores Theologiæ veritati interdum & sibi inuicem contradicant? Quia apodicticam viam non exacte vestigant, & persuasio non potest eos in recta via continere. Iuxta hanc viam Christus euertit sententiam Pharisæorum, existimantium spiritum hominis cum corpore mori & extingui, docet enim *Abrahamum*, *Isaachum*, & *Iacobum* non esse extinctos moriente corpore, cum diu post eorum obitum, Deus dicat se esse eorum Deum, est enim axioma indubitatum, Deum esse Deum & Regem viuentium non mortuorum. Huius canonis fundamentum est veritas verbi Dei, cum enim sit non modo verum sed ipsissima veritas, eius Elogia sunt prima & vera & elementa analytica & apodictica. Secundus canon a D. *Paulo* commendatur Rom. 12. 6. scilicet Analogia fidei. Est enim verbum Dei, logos fidei Rom. 10. 8. quia in eo continentur rationes quibus nititur fides, & logos fidei cum analogia fidei congruit, sicut enim in Geometriæ elementis analogia est logorum similitudo, sic in Teologia analogia fidei erit logorum fidei similitudo. Iuxta hanc fidei analogiam D. *Paulus* ex eo quod *Melchisedech* proponitur sine patre, sine matre, sine initio dierum & fine vitæ, concludit Christum consimili ratione esse aliquo modo sine patre sine matre, sine initio dierum & fine vitæ. Huius canonis fundamentum est analogia operum Dei, docet enim *Salomo* Deum habere stateram iudicij in manu sua, & omnia opera eius esse vt pondera sæculi steteræ, quæ quidem sunt analogica seu proportionalia, ergo & opera Dei sunt analogica, & ex eorum perpetua analogia deducta illatio & doctrina est vera. Rationes fidei in sacra scriptura docentur, ideo & analogia fidei ex eodem fonte depromi debet. Hic vero duplex canon apodicticus & analogicus ex Geometris desumitur, ideoque arundini metricæ facilè potest comparari. Num hic sit aureus calamus metricus quo Ierusalem cœlestis mensurabitur, experientia docebit. Hoc vnum scio metallum auro preciosius nullum esse, & Arithmeticos, vocare Analogiæ siue proportionis regulam, regulam auream, & nihil celebrius & preciosius esse Dei verbo & eius vera id est apodictica & analogica explicatione. Dicit *Jsaias*, Ponam iudicium ad stateram, & iustitiam ad mensuram. Vnde hoc, nisi ex eo quod verbum Dei quod est fundamentum iuris & iustitiæ, analogicè tractabitur iuxta analogiam pōderum stateræ, & apodicticè iuxta normam metricam?

Tertia lex harmonica est, Exponitur autem Apocalypseos 15. vbi ij qui de bestia triumphant, ostenduntur habentes palmas triumphales in manibus suis, & canentes canticum *Mosis* & Agni super harmonicis seu musicis instrumentis, videlicet citharis, hoc plane demonstrat doctrinam *Mosis* & Christi inter se conuenire vt fides citharæ, harmonico concentu. Non ergo Christus legem destruxit sed compleuit, vt si quis dato subiecto musico reliquas partes harmonicas adijceret, ad complendam melodiam, is prius subiectum musicum non destrueret sed compleret. Iuxta canonem huius concentus D. *Paul.* 1. Corinth. 9. docet. Sicut sub lege qui altari ministrabant cum altari participabant: ita & Dominum ordinasse, vt qui Euangelio ministrant de Euangelio viuant, quinetiam dicit, Nunquid hoc secundum hominem dico?

Nunquid

Nunquid lex non eadem dicit? Huius legis fundamentum est perpetua Dei constantia, quæ non patitur vt Deus sibi contradicat aut ijs abroget quæ semel decreuit, eis potest derogare quidem, sed non abrogare, derogare enim legi est eam specialius explicare, & commandare non autem ei detrahere, & est eam magis firmare, non auellere aut infirmare. Qui enim legi derogat, partem infirmam & inutilem & non necessariam tollit, vt aliam magis necessariam firmius statuat. Deus vero potest seipsum explicare, non autem sibijpsi contradicere, itaque suis legibus potest derogare, non abrogare. Et eis derogans id est partem infirmam subtrahens, partem aliam firmiorem statuit, cuius consensum & concentum cum doctrina Euangelica nobis commendat figura prophetica Apoc. 15. a nobis hoc loco exposita. Cæterum sicut Apodixis & Analogia a Geometris desumptæ comparantur metrico instrumento aureo, scilicet calamo metrico aureo Apocalyps. 22. Ita & collatio doctrinæ *Mosis* & Agni Musico instrumento videlicet Citharæ comparatur, & consensus doctrinæ *Mosis* cum Euangelica concentui fidium eiusdem Citharæ, quam pulsat Dei Spiritus.

Quia vero quædam tradidit *Mose* etiam cum lege, quæ tamen ex substantia legis non erant, sed ex quadam tolerantia concessa ab ipso *Mose* fideli Dei seruo, vt diuortium, ideo quartus canon docet hanc circumspectionem esse adijciendam canoni harmonico, qua edocemur legem diuortij passam esse correctionem in nouo Testamento, quia non erat intensiuum mandatum, sed concessio facta non tam sponte & voluntate legislatoris, quam importunitate Israelitarum, qui cum essent corde duri, propter duritiem cordis sui præter iuris seueriorem normam a *Mose* hoc obtinuerant Ideo D. *Paul.* docet legem esse bonam si quis legitimè vtatur, legitimus legis vsus hac & sequentibus circumspectionibus est circumscriptus.

Quintus canon cum sciat quasdam fuisse consuetudines populo Israelitico peculiares, vt quod frater ducat vxorem viduam a fratre defuncto relictam, vt ei semen excitet, non eas ad alios populos trāsfert, nec Christianos eis subijcit.

Sexta lex sublato velo legit *Mosem*, id est sublatis literalibus & carnalibus sacrificijs spiritualem finem sacrificiorum docet, & τυπικὴν καὶ σημαντικὴν eorum mētem explicat, vt hostiam corporum nostrorum quæ est rationale seruitium nostrum. Sic Manna in typum & figuram data erat Israelitis, & baptisma in nube & mari, & aqua de *Petra* & sim. 1. Cor. 10. Sic docet foedera *Abrahami* cum ancilla & libera, referri ad duas Ierosolymorum ciuitates, terrenam & coelestem, & ad duo foedera *Mosis* & Agni vetus & nouum, qui est allegoricus modus, Galat. 4. & modum mysticum quo nos dicimur corpus Christi 1. Cor. 12. synecdochicum quo in oratione Dominica panem, pro victu & vestitu necessario petimus, ideoque tropicus etiam modus generaliùs est admittendus, & Anthropopathæas quo Deus dicitur poenitere 1. Sam. 15. & concreti & discreti modum quem alij vocant concreti & abstracti, quo Deus Christus in concreto natus est, non autem diuinitas Christi in discreto seu abstracto, sic Christus quatenus est filius hominis accepit potestatem faciendi iudicium *Io.* 5. similes modi complures ex hoc canone depromi possunt.

Septima est lex æquitatis, quæ non ex literali rigore, sed ex spirituali æquitate iudicat, nam rigor legis occidit, at æquitas viuificat, & hoc est quod ait D. *Paulus* Litera occidit, spiritus vero viuificat, ex legis rigore omnes damnationi subijciuntur, at ex legis æquitate secundum quam est gratia & misericordia Dei per fidem in Christum & non ex operibus legis extat vita. Secundum æquitatem & gratiam, lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me a lege peccati & mortis cui secundum rigorem subijciebar. Rom. 8.

Secundum rigorem iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, *Iacob* 2. secundum æquitatem, charitas obteget multitudinem peccatorum.

Secundum rigorem quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus *Iacob.* 2. secundum æquitatem, Beatus cui remissæ sunt iniquitates Psalm. 32. secundum rigorem ex operibus legis non iustificabitur omnis caro Rom. 3. 20. secundum æquitatem legis fidei, qui facit iustitiam iustus est, & qui non facit iustitiam ex Deo non est. 1. *Io.* 3. *v.* 7. & *v.* 10. secundum rigorem, maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea, *Galat.* 3. 10. secundum gratiam ex qua est æquitas, liberati sumus a iugo legis per meritum Christi.

Hæ sunt leges & regulæ quibus nostrum stylum conformare nitimur, totisque viribus conamur, ad id neruos intendimus nostros, vt ea probata statuamus, ideoque eis etiam & earum censuræ & examini ea quæ volumus statuere, subijcimus.

Fateor tamen apodixin in omnibus locum non habere vt in rebus contingentibus, & quibusdam locis historicis aut alijs a Doctoribus traditis, in quibus quærendum est quid magis verisimile videatur. At in huiusmodi locis ex æquo & bono & maturiori iudicio quærenda est verisimilitudo, non absona ab ijs quæ demonstrari possunt ex variorum locorum collatione. In his vero casibus ego nihil assero, sed quod verisimilius videtur propono vna cum ratiocinio quo verisimile argumentum colligo, vt si quis sententiam meliorem ostendere possit, eam proponat, per me licebit. Et ea quæ non sunt in dubio & quorum non potest dari certa interpretatio, ita explicari quidem possunt vt modeste dicas ego ita sentio meliorem expectans explicationem, hoc inquam licet in pacato stylo, at in polemico si dicas ita nos exponimus, insulsè loqueris. Nam tunc oportet singula probare, etiam singulas explicationes via apodictica statuere & comprobare. Quare dolui certe cum mihi ostenderetur alicuius Doctoris magni nominis scriptum polemicum, in quo loco firmæ analyseos, dicebat. Nos ita exponimus, id enim est homines plumbeo gladio iugulare. Ego certe quicquid asseram probabo, Deo fauente, & quæ probare non potero non affirmabo, & si quid polemice tractandum sit, ea producam argumenta, quæ apodicticè probentur, omittens dubia omnia, nisi certioribus & firmioribus præmuniantur.

Qui etiam seriò leget nostra scripta secundæ partis inueniet nos rerum originem & primum fontem magno cum labore vestigasse ut potius iudicio quàm inuentione commendentur.

CAP.

CAP. II.

Episcoporum statum & authoritatem supra presbyteros ex iure diuino, non ex consuetudine pendere.



Solent pastores gregibus suis aduigilare, ita *Iacob* aduigilabat gregibus soceri sui *Labani Genes.* 31.40. Ita Pastores vigilabant & custodiebant vigilias noctis super gregem suum. Cum Angelus Domini eis nunciauit natiuitatem saluatoris Christi in Bethlehem ciuitate *Dauidis*, *Luc.* 2. 8. Et ita Deus qui sicut Pastor visitat gregem suum in die quo est in medio ouium suarum dissipatarum, sic & ipse visitat oues suas & liberat eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerunt in die nubis & caliginis, *Ezech.* 34. 12. Ipse quoque in antiqua lege Tabernaculum condidit, vt ibi tanquam summus Pastor maneret, sub se tamen habens *Mosem* & *Aaronem* vt Pastores gregis sui, *Psalm.* 77. & Sacerdotes ministrantes in pastorali illo tabernaculo erant etiam vigiles populi, quod vt significaret Deus præcepit, vt perpetua custodia in Tabernaculo seruaretur, atque vt Sacerdotes essent vigiles, at *Eleasarum* sacerdotem constituit vt custodibus seu vigilibus præfectum, seu vt ita dicam superuigilem & superintendentem. *Num.* 3. 32. Erat hæc custodia literalis & legalis figura Tabernaculi Christiani spiritualis, in quo Christus vt ἀρχιποιμὴν est quoque superintendens gregi suo, & habuit sub se pastores Apostolos, quos etiam constituit Episcopos gregis sui, nec tamen eos constituit solos vigiles, sed etiam omnes Pastores vocauit ad vigilandum, & sæpius monuit, vt haberent lampades paratas & vigilarent. Et sicut sacerdotes olim erant excubitores custodiæ Tabernaculi, ita & Sacerdotes vocantur ad id vt sint vigiles, at sicut *Eleasar* præficiebatur vigilibus, ita & Apostolos vocauit Deus, ad id vt essent Episcopi *Act.* 1. id est præfecti vigilibus & custodibus Tabernaculi Christi, sic etiam & Apostoli constituerunt Episcopos qui tales essent inter Presbyteros vigiles, qualis *Eleasar* inter exeubitores Tabernaculi, videlicet superintendentes.

Etenim ad omnes Episcopos pertinet quidem vigilare, vt *Rom.* 16. 17. ita loquitur D. *Paulus* Rogo vos fratres σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε ποιοῦντας καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν, vt vigilantes animaduertatis eos qui diuisiones & scandala faciunt circa eam quam didicistis doctrinam, & ab eis declinetis, hoc ad omnes Pastores pertinet. Necnon & hoc quod dicitur *Heb.* 13. Parete præpositis vestris & subijciamini eis, ipsi enim pro animabus vestris ἀγρυπνοῦσι (id est vigilant) vt rationem reddituri, hoc etiam ad omnes præpositos & gregis pastores spectat, ita vt eorum officium sit σκοπεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν, id est vigilare & intendere. Sic Christus suis Discipulis sæpius dixit vigilate: & comparauit regnum Dei virginibus vigilantibus propter aduentum sponsi vna cum lampadibus suis. At non omnibus præcipitur ἐπισκοπεῖν, id est superintendere, & superuigilare, aliud enim est σκοπεῖν & aliud ἐπισκοπεῖν, Sicut autem omnes pastores possunt & debent γρη-

γορεῖν σκοπεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν ita quoque omnes pastores possunt dici populi vigiles & custodes Latine, & Græce *σκόποι* & *ἀγρυπνοῦντες*, at non omnes sunt aut dici possunt *ἐπίσκοποι* aut superintendentes, aut ij soli qui præsunt *σκόποις*, id est, excubitoribus & vigilibus & pastoribus & sacerdotibus Tabernaculi Christiani, vt *Eleasar* excubitoribus Taberraculi *Mosaici*. Hinc fit vt Apostoli fuerint Episcopi & Apostolatus vocatus fuerit Episcopatus. *Act.* 1. Sic & *Iacobus* frater Domini fuit Episcopus Ierosolymitanus, *Timotheus*, *Ephesinus*, & *Titus Cretensis*. Si legas *Dorothei*, *Eusebio* contemporanei synopsin magnum inuenies numerum Episcoporũ qui fuerũt ab apostolis ordinati ex ijs qui fuerant Christi Discipuli, aut in eorum ordinem asciti, quam hoc loco omittimus, eam interdum, quibusdam notulis illustratam edituri.

D. *Augustinus* hæc superioribus consentanea docet, cum ita loquitur *Tom.* 8. in *Psalm.* 126. Ad custodiam Ecclesiæ pertinet quod dicit Apostolus: Timeo ne sicut serpens seduxit *Euam*, astutia sua: Sic & vestræ mentes corrumpantur, a castitate quæ est in Christo. Custodiebat, cautus erat, vigilabat quantum poterat super eos quibus præerat. Et Episcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum. Nam & Græce quod dicitur Episcopus hoc Latine superintentor interpretatur, quia superintendit, quia DESVPER VIDET. Quomodo enim vinitori, altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior factus est. Et de isto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hîc, vt humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus vt qui nouit mentes vestras, ipse custodiat.

Ad Episcopum pertinent ea omnia quæ ad Presbyterum spectant. Etenim inter Episcopum & Presbyterum multa sunt communia, vt munus prædicandi verbum Dei, & monendi, hortandi, arguendi, hæreticis resistendi populo aduigilandi. sacramenta administrandi, & similia. Ex quo fit vt D. *Petrus* se Presbyterum nuncupet, sicut & D. *Iohannes*, & D. *Paulus* monet *Timotheum* ne negligat gratiam quam accepit per Prophetiam & impositionem manuum Presbyterij. At quædam sunt propria Episcopo, quibus a Presbyteris distinguitur. Etenim ordinatio ad Episcopum non ad Presbyterum spectat, etiamsi Presbyteris non denegetur ius electionis, & Presbyteri presentes cum Episcopo ordinante manus imponant. Ad Episcopum & Presbyteros pertinet vigilare, id est *γρηγορεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν καὶ σκοπεῖν*. Ad Episcopos *ἐπισκοπεῖν*, id est desuper vigilare, vt loquitur D. *Augustinus* seu superintendere loco superius adducto. Ad Episcopum & Presbyterum spectat vigilare & perspicere eos qui faciunt diuisiones in doctrina, & recedere ab illis, *Rom.* 16. 17. quinetiam eis resistere & eos sana doctrina conuincere. At eos coercere, & si opus sit eos tradere Satanæ, vt Hymenæum & Philetum, ad Episcopum spectat, ad quem pertinet denunciare ne aliter doceant. 1. *Tim.* 1. & ea quæ desunt corrigere. *Tit.* 1. & ad quem pertinet audire accusationes contra Presbyteros non tamen nisi sub duobus aut tribus testibus, 1. *Tim.* 5. 20. Non potest Presbyter aliquid extra oppidum & Ecclesiam in qua constitutus est aliquid expedire: Episcopus potest in tota sua diocesi ordinare & corrigere, quinetiam primas potest in tota prouincia ordinare & corrigere, vt *Titus* in tota Cretensi prouincia.

Tit,

Tit. 1. Omnis etiam Episcopus est Presbyter, at omnis Presbyter non est Episcopus. Et Presbyteri possunt vocari *επίσκοποι* ex *Rom.* 16. 17. at non Episcopi & Episcopus potest se vocare Presbyterum, vt D. *Petrus* & D. *Iohannes*, & *Cyprianus* vocat in suis Epistolis Presbyteros, suos compresbyteros cum D. *Petro.*

Ad Episcopum & Presbyterum communiter spectant ea quæ D. *Paulus* exponit, 1. *Tim.* 3. & *Tit.* 1. præcipue vero ad Episcopum, & quia ad Episcopum præcipue spectant, & etiam quia Episcopi sunt præcipui Presbyteri, ideo D. *Paul.* ea tribuit Episcopo, nulla facta mentione Presbyteri, quia sub Episcopo exponuntur, vt *Ambrosius* quoque exponit. Ait ergo D. *Paulus*. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris maritum, sobrium prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli. Oporret autem illum & testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli.

Sic videmus multa esse communia inter Episcopum & Presbyterum, at ordinatio est Episcopi sicuti correctio Schismaticorum & coercitio hæreticorum. Hinc dixit *Augustinus Tom.* 7. de correpti. & grat. Cap. 3. Ergo, inquiunt, præcipiant tantummodo nobis, quid facere debeamus, qui nobis præsunt, vt faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus. Imo omnia fiant, quoniam Doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si non fierent, & orabant vt fierent. Idem *Augustin.* ibid. Cap. 15. Corripiantur itaque a præpositis suis, subditi fratres, correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus, quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam fecit Episcopale iudicium, qua pœnâ in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die: an ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne recipiat, & det pœnitentiam, & accepto sacrificio Spiritus contribulati contriti a reatu, quamuis iustæ damnationis, absoluat, damnatumque ipse non damnet? Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dura contagia separare ab omnibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.

CAP. III.

De Presbyteris.



SEnatum sub lege naturæ fuisse authoritate *Mosis* apparet, quia Israelitæ habuerant Senatum suum etiam antequam egrederentur ex Ægypto *Exod.* 4. 29. sed insuper cum *Moses* non sufficeret ad instruendum Israeliticum populum, & sustinendum onus ipsius, Deus præcepit vt eligeret septuaginta Senio-

ta Seniores, quibus Dominus distribuit spiritum suum, & prophetarunt. Atque ij fuerunt septuaginta Seniores prophetæ, qui est secundus ordo Presbyterorũ quos in Israele fuisse cognouimus, at idem ordo est prior in deserto constitutus. Et primus a Deo sub lege *Mosis* stabilitus, & ipsi quoque videntur fuisse electi ex ijs qui erant in priori Israelitarum senatu, dicente Domino: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israelis, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri. *Numb.* 11. 16. Et hi fuerunt constituti eo tempore quo Deus dederat Man, & quando coturnices tradidit, quod referri debet ad seriem historiæ quæ notatur *Exod* 16. Et hi videntur esse Seniores Ecclesiastici, id est, ex ijs qui fuerant Sacerdotes sub lege naturæ, quandoquidem *Aaron* cum omnibus senioribus Israelis venit, vt panem comederet cum *Iethrone* sacrificante. Nam ratio postulabat vt potius *Moses* gener interesset sacrificio soceri *Jethronis*, quam *Aaron*, nisi ordo Sacerdotij tulisset vt potius *Aaron* sacerdos, cum suis consacerdotibus interesset.

Secundus ordo Seniorum in deserto constitutus, fuit a *Iethrone* inductus, vbi Tribuni Centuriones quinquagenarij & decani ex consilio *Iethronis* fuerunt ordinati, *Exod.* 18. Quibus præcepit *Mose* vt absque respectu personarum iudicarent, quoniam iudicium Dei est. Itaque indigenæ & peregrino ius ex æquo dicerent, *Deut.* 1.

Iidem Seniores vocabantur Dij *Exod.* 22. 8. Et eis Deus leges præscripserat quibus populum iudicarent. De Senioribus oppidorum futuris mentio fit, *Deut.* 21. & quid agendum cum inuenirent hominem occisum, cum homicida non innotesceret. Et quid fieret de ijs quorum causa ad summum sacerdotem aut summum iudicem referebatur, nisi vellent eorũ iudicio stare *Deut.* 17. Seniores quoque seu iudices Leuitas, & iudices laicos in Israele fuisse, apparet ex 2. *Paralip.* 19. Vbi *Iosaphat* constituit iudices populi Laicos, & alios iudices leuitas in vrbibus Israelis, & ideo *Ierem.* 19. facit mentionem seniorum populi & seniorum Sacerdotum. Quinetiam 1. *Paralyp.* 23. numerantur ex Leuitis triginta octo millia. Ex quibus electi & distributi in ministerio domus Dei viginti quatuor millia, præpositorum autem & iudicum sex millia fuerunt. Seniores vero Israelitici iudicabant populum ex lege Dei, quam docebant in suis iudicijs, videlicet leuitæ ex 2. *Paralipom.* 19. Et *Malach.* 2. 7. Quinetiam & Iudices Laici sicut Sacerdotes, *Exod.* 22. 8. & *Deut.* 17. & 21. Regibus præcipitur lex addiscenda & obseruanda vt populum ex ea iudicent. Ex quo Psalmista eum fœlicem profert, qui in lege Domini die nocteq; meditatur *Psalm.* 1 & legem Dei fuisse in corde suo, & delectationem suam *Psalm.* 119.

In nouo Testamento Senatus Ecclesiasticus fuit duodecim Apostolorum & septuaginta Discipulorum. Verum quia Christus ipse vocauit duodecim Discipulos suos Apostolos, *Luc.* 6. 13. & ipsi suum Apostolatum ex *Dauide* vocarunt *ἐπισκοπήν*, id est, Episcopatum, ideo factum fuit vt nomen Presbyterorum remanserit consortio septuaginta Discipulorum. Quod apparet ex *Act.* 15. vbi propter quæstionem in Antiochia obortam congregati fuerunt Apostoli & Presbyteri. Nouimus autem nomen Apostolorum non fuisse ab Apostolis communicatum multis vt vilesceret, nec in illo consilio interfuerunt

runt plures quam quindecim, qui vocarentur Apostoli, scilicet duodecim Apostoli, & *Iacobus* frater Domini, & D. *Paulus*, & *Barnabas*. Ij enim tres vocantur Apostoli, *Galat.* 1. 19. & *Act.* 14. 4. Itaque quindecim Apostoli potuerunt concilio interesse, aut quatuordecim secundum alios qui *Iacobum* putant fuisse de numero duodecim, reliqui vocantur Presbyteri. Inter quos erant ij qui fuerant è consortio septuaginta Discipulorum, quorum quidem nomina non innotescunt singula, sed quorundam vt horum trium, scilicet *Iudæ* & *Silæ*, & *Iohannis* qui cognominabatur *Marcus*, quorum quidem *Iuda* & *Silas* erant è primoribus inter fratres, quia *Iudas* erat de fratribus Domini, & ideo è numero septuaginta Discipulorum. Nec potest aliquis *Simonem Cleopham* ab illo consortio arcere, qui erat vnus de septuaginta Discipulis qui constitit in Presbyterio Ierosolymis donec ad Episcopatum fuit promotus. *Silam* quoque *Dorotheus* inter septuaginta Discipulos connumerat, neque est ratio cur ab illo numero excludatur, eundem ait postea fuisse Corinthiorum Episcopum. Et *Clemens Alexandrinus* apud *Eusebium* testatur post resurrectionem Christum omnem scientiam manifestasse *Iacobo* & *Petro* & *Iohanni*, & ipsos alijs Apostolis explicasse, Apostolos quoque septuaginta Discipulis, *Euseb. l.* 2. c. 1. Neque potest quispiam consortium septuaginta Discipulorum a societate Apostolorum auellere, aut ab hac synodo expellere, quanquam non existimemus totum numerum septuagenarium interfuisse, sed partem illorum, nec dubitamus quin aliqui ex illis cum D. *Iacobo* essent, *Act.* 21. cum ad illum Presbyteri in aduentu D. *Pauli* fuerunt congregati. Nam Ierosolymis constitit *Cleopha* frater Domini vnus è septuaginta, inter Presbyteros, donec tandem ab Apostolis post D. *Iacobum* fuit ordinatus Episcopus Ierosolymitanus. *Dorotheus* multos è numero septuaginta Discipulorum recenset, at interserit alios qui non erant ex primis septuaginta Discipulis, sed fuerunt in illorum numerum asciti. Inter septuaginta vero magna cum ratione connumerat fratres Domini & *Silam* & similes. Insuper *Euseb.* docet duos fuisse *Iohannes*, vnum Apostolum, alterum Presbyterum, ambos vero Christi Discipulos, *lib.* 3. c. 36. Videmus ergo hos septuaginta Discipulos Presbyteros fuisse. Et multi ex illis a Presbyterio ad Episcopatum promoti fuerunt, quod ex *Eusebio* colligere potes & *Dorotheo*, inter cæteros hi fuerunt præcipui qui erant fratres Domini, & qui fuerunt Episcopi Ierosolymitani, *Iacobus* & *Cleophas*. Ex his septuaginta erat *Ananias* qui D. *Paul.* baptizauit. Et *Aristion* quem cũ *Iohanne* Presbytero inter Christi discipulos cõnumerat *Eusebius* loco superius citato, & alij quamplurimi.

5 Presbyteros vero verbum Dei prædicasse apparet ex D. *Pauli* dicto, qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt, præcipue qui laborant in verbo & doctrina. At aliqui hunc locum ita exponunt, vt ex eo inferant Presbyteros quosdam dedisse operam verbo & doctrinæ, alios non prædicasse, sed inductos fuisse ad censuram morum. Alij aiunt non ita exponendum esse, sed ita vt sciamus omnes quidem prædicasse verbum Dei, sed hos diligentius, alios negligentius, & eos qui diligentius operantur in verbo, & doctrina esse præcipue dignos duplici honore, & hoc ab Apostolo exprimi cum vtitur verbo laborare, quod non est simpliciter operari, sed cum sudore ad a-

 liquid

liquid strenuæ agendum incumbere. Et quia in vtramque sententiam & rationes & authoritates Doctorum fortasse produci possent, videtur antiquissima consuetudo huiusce controuersiæ decisionem inferre. Inuenimus autẽ apud antiquos, Presbyteros fuisse concionatos, ita vt tanquam res singularis narretur, quod in Alexandria Presbyter non concionabatur, qui mos notatur cœpisse sub dissidijs *Arrij Socrat. lib.* 5. *c.* 21. Et Presbyteri Papistici morem illum perbelle norunt imitari, non enim prædicant nisi pauci, alij vero canunt, ita vt nomine tenus sint Presbyteri, reipsa cantores.

In eadem ciuitate non erant Episcopi plures quàm vnus, sic Ierosolymis cũ D. *Paulus* eo venit nouissime. *Act.* 21. D. *Iacobus* solus Apostolus, id est, Episcopus aderat, at multi cum illo erant Presbyteri, sic cum *Timotheus* esset Episcopus Ephesi, vocati fuerunt Presbyteri Ephesini. Et D. Paulus præcepit *Tito* vt secundm vnumquodque oppidum constituat Presbyteros, non secundum vnumquodque oppidum Presbyterum, nam poterat præcipere vt constitueret Presbyterum in vnoquoque oppido, at ipse ita loquitur, καὶ καταςήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους. Possemus hic adducere morem antiquæ Ecclesiæ Romanæ antequam ab Antichristis corrupta esset, neque desumere vellemus hoc exemplum ab eorum decretis, in quibus si quid verum inueniatur, præter scopum est: At depromptum ex *Euseb. hist. lib.* 6. *cap.* 42. vbi ait tempore *Cornelij* Episcopi Romani, fuisse Romæ Episcopum vnum, Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos quadraginta duos, exorcistas & lectores cum ianitoribus quinquaginta duos, viduas cum afflictis supra mille quingentos, quos omnes Ecclesia nutriebat.

Ambrosius ait apud D. *Paul.* ad *Ephes.* 4. Apostolos esse Episcopos (hinc fit vt D. *Iacobus* Episcopus Ierosolymitanus Apostolus nuncupetur, etiamsi non esset de numero duodecim Apostolorum. Prophetas ait esse explanatores Scripturarum, vt *Agabum* & paulò post dicit esse ordinem hunc Presbyterij, Euangelistas vero Diaconos sicuti fuit *Philippus* Euangelista, Pastores posse esse lectores qui lectione saginent populum audientem, quia non tantum pane viuit homo, sed omni verbo quod procedit ex ore Dei, (At maior pars sumit Pastores pro Episcopis & Presbyteris) Magistros vocat exorcistas seu cathechistas.

CAP. IIII.

Primates esse ex iure Diuino et sacra Scriptura, & de nominibus Archiepiscoporum.



Væritur num Primates in Ecclesia Christiana iure Diuino esse queant. Respondeo & posse & debere. Ac imprimis non obscurum est summos Sacerdotes fuisse sub lege Naturæ, quales fuerunt *Melchisedech* & *Iob*, & sub lege *Mosaica*, qualis erat *Aaron*. Ij erant Christianorum primatum typi. Et sicut *Aaronis* successores summi sacerdotes vocati fuerunt ab historicis Episcopi Ierosolymitani, ita & *Iacobus* frater Domini Episcopus Ierosolomytanus fuit, & ad illũ

translatum fuit ius successionis *Aaronis*, vt sicut *Aaron* erat Primas in tota terra Israelitica, ita & *Iacobus* frater Domini erat Primas totius prouinciæ Palestinæ Iudeæ. Consimili ratione & *Titus* in Creta fuit Primas, quoniam ei tradebatur potestas in tota insula ordinandi. Sed fortasse dices ei datam fuisse potestatem ordinandi quidem Presbyteros in tota insula, non autem ordinandi Episcopos in ciuitatibus. Et proinde fortasse conaberis inferre eundē esse ordinem et consuetudinem quem Scythæ leguntur habuisse, vt vnum haberent Episcopum in Metropoli & nullum in alijs ciuitatibus, etiamsi ciuitates plures haberent. At hoc siquis statuere velit Epistolæ Christi ad septem Episcopos Asiæ docebunt in eadem prouincia plures quàm vnum Episcopos fuisse. Et ciuitates quæ non erant metropoles Episcopū habuisse. Quinetiam Epistola ad *Philippenses* (cum *Philippi* ciuitas probetur prima partis Macedoniæ & colonia *Act.* 16. 12.) Salutat Episcopos. Notum est autem in eadem ciuitate Episcopos plures quàm vnum non fuisse, nisi essent Apostoli, vt Ierosolymis, plures Apostoli manserunt. Et in Antiochia D. *Paul.* D. *Petrum* reprehendit, & D. *Iohannes* mansit Ephesi vbi *Timotheus* erat Episcopus. In alijs vero ciuitatibus vbi Apostoli non erant, vnus tantum erat Episcopus, Qui fit igitur vt *Philippis* plures salutentur Episcopi? Quia scilicet ciuitas erat primaria & Metropolis. Itaque salutatur Primas cum eius coepiscopis & comprouincialibus. Sic solebat D. *Paulus* salutare prouinciam cum Ecclesia Metropolitana, vt apparet ex 2. ad *Corinthios*, vbi salutat Corinthum & totam Achaiam. Et ideo quod sub fine iubet vt salutent omnes sanctos in Christo, non tantum intelligitur de sola vrbe *Philippi*, sed de tota prouincia, cuius Episcopos salutauerat. Neque casu sed consilio & spiritus Dei prouidentia factum est, vt D. *Paulus* miserit decem Epistolas, aut ad Ecclesias Metropolitanas aut ad Episcopos Metropolitanos, videlicet ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Ephes. 1. ad Philipp 1. ad Thessalonic. 2. ad Timoth. 2. ad Titum. 1. ad Galatas etiam scribens, sicut ad Hebræos, toti genti quoque scribit. Cum etiam D. *Paulus Tito Cretensi* Episcopo det *πᾶσαν ἐπιταγὴν*. *Tit.* 2. 15. licuit ei sicut Presbyteros in oppidis, sic Episcopos sub se in ciuitatibus constituere. Nec omittendæ sunt traditiones Apostolorum, quæ vocantur canones Apostolorum, quæ ijs consona præcipiunt, vt cuiuslibet gentis Episcopi sciant quis inter eos primus sit, & eum quasi caput habeant, & nihil amplius præter eius conscientiam agant, quàm quod singuli in suis parœcijs agere solent. Apost. can. 35. Nec contemnenda est horum canonum authoritas, cum celebretur, Nicen. c. 8. nomine traditionum Apostolicarum, sicut & in fine Gangiensis Concilij, & apud *Eusebium* in vita *Constantini*, & alijs locis innumeris, vt nos ostendimus in præfatione ad eosdem canones. Et talem quoque fuisse priscam consuetudinem docet 6. cap. Nicenum & videntur 318. testes eiusdem historiæ selectissimi ex toto orbe Christiano, in sæculo in quo ignis persecutionis omnia probauerat, credendi esse, præcipuè, cum ea ætate viuerent, in qua erant aliqui vt *Antonius* monachus AEgypti, qui nati erant viuente *Irenæo* qui Polycarpum Apostolorum Discipulum viderat, vix ergo poterat per totum orbem terrarum talis consuetudo per subreptionem inducta esse inscijs Patribus. Et quis est tam iniquus rerum iudex, qui eis potius

non credat, quam nouis authoribus, veritatem in dubium reuocantibus.& volentibus sua somnia pro indubitata veritate persuadere, & sua delyria pro oraculis venditare? Inter cætera non est obscurum *Ireneum* discipulum sanctissimi Polycarpi præfuisse Episcopis Galliæ. Policratem eodem tempore Asiæ, Corinthi & Achaiæ Banchylum, vt potes videre apud *Euseb. lib.* 5. c. 21. 22.& 23. in Concilijs celebratis tempore Victoris Episcopi Romani. Eodem quoque tempore Primas Numidiæ erat *Cyprianus* Carthaginensis Episcopus. Proinde sicut Hierarchicus status fuit sub lege Naturæ in *Melchisedecho* & *Iob.* & iterum sicut inter ipsos Angelos probatur esse Hierarchia ex Epistola *Iudæ* vbi proponitur *Michael* Archangelus diuersus ab eo qui proponitur in Apocalypsi qui est Christus, cum hic Archangelus de quo loquitur *Iuda*, non ausus sit proferre iudicium contra Satanam. Sic etiam & in Ecclesia Christi Hierarchia primatum constituta est sub vniuersali Episcopo Christo, non autem hierocratica Presbyterorum gubernatio.

Disputatur num primates possint vocari Archiepiscopi. Respondeo posse, concesso enim officio conceditur & nomen. At dicunt aliqui ex ijs qui vident festucas in oculis proximi & trabes in proprijs oculis existentes non vident, aliorum morum audaces censores, & suæ morositatis mordici defensores, Logomachian potius quàm instructionem quærentes, & vanitatis venatores subtilissimi & venti segetem captantes, tales tituli sunt reijciendi, vt superbiæ pleni. Itane quæso? quare? quia scriptura sacra talibus nominibus non vtitur. At quæso num ea respuit? hoc si possis, ostende. Aiunt illud epithetum Archi apud Græcos venire ab ἄρχων quod est princeps,& ideo cum Principem significet non debere Episcopis tribui. Imo in tali compositione nihil aliud significat quàm primum aut primarium cuiuscunque fuerit vocationis, cuius quidem rei exemplum producam, non peregrinum sed familiare ex *Ioann.* 2. 9. vbi Architriclinus qui gustauit vinum ex aqua factum a Christo, eo nomine non vt princeps celebratur, sed vt primarius inter socios suos, neque compositio vocabuli talem quendam in superbiam efferebat. Num etiam superbiebat D. *Paulus* cum se prudenti Architecto comparabat? dicens se fundamentum vt sapientem Architectum posuisse, alios vero super ædificare? Quinetiam & nomen Archisynagogi *Iudæo* tribuit Scriptura sacra *Act.* 18. 8. homini scilicet multo inferioris conditionis quàm sit Primas alicuius prouinciæ.

Alij etiam opponunt Concilium Carthag. prohibens ne quis princeps Sacerdotum vocetur. Superius satis ostendimus ἀρχι in compositione non significare principem, sed primarium, etiamsi Scriptura vtatur vocabulis ἡγούμενοι *Act.* 15. 22. & *Hebr.* 13. 17. & προϊστάμενοι *Rom.* 12. 8. & simil. Sed illud ἀρχι in compositione non minus videtur deriuari ab ἀρχὴ quod est principium, quam ab ἄρχων quod est Princeps. Itaque hoc concilium non attingit nomen Archiepiscopi compositum, sed principis Sacerdotum, fortasse quia videbant Aphricani, qui soli eo tempore apertè sese opponebant Romano vt ex Concilio 6. Carthaginensi & Aphricano apparet, Romanum Pontificem tales inanes titulos affectare, quinetiam expressè præcipiebant vt omnes primates vocarentur primæ sedis Episcopi, vt ea ratione eluderent Romanum, qui suam

ſedem vt primam iactitabat quaſi aliorum primatum ſedes non eſſent primæ æque ac Romana. At nomen Archiepiſcopi etiamſi antiquius eſſet, non attigerunt Aphricani, vt illud prohiberent. D. *Ambroſ.* ad *Epheſ.* 4. quemlibet Epiſcopum principem Sacerdotum eſſe affirmat. Eius ſententia non damnatur ijs concilijs, nec iure damnari poteſt, quia ipſe eos docet eſſe tales, non autem ita nominandos. Et hic canon de nomine & non de re loquitur. *Ambroſius* lib. de dignitate Sacerdotali, c. 5. Archiepiſcoporum nominis mentionem facit. Hoc non damnatur apud Aphricana concilia.

CAP. V.

De 12. *Apoſtolis & 70. Diſcipulis, & eius ſucceſſoribus.*



Iſit Chriſtus duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta Diſcipulos. Duodecim Apoſtolorum miſſio exprimitur *Matthæi* 10. *Marc.* 3. 13. & 6. 7. Et *Luc.* 6. 13. & 9. 1. Horum nomina exprimuntur, omnibus notiſſima, & inter cæteros D. *Lucas* duo notauit quæ in reliquis Euangeliſtis non inueniuntur. vnum, quod Chriſtus nominauit eos Apoſtolos, eoſque prius elegit & inſtruxit, poſtquam etiam eos Apoſtolos vocaſſet, deinde quod eos miſit ad prædicandum Euangelium. Secundo etiam D. *Lucas* miſſionem ſeptuaginta Diſcipulorum ab alijs omiſſam in ſuo veluti Pararalipomenon libro, decimo capite celebrauit. Et oſtēdit his ſeptuaginta diſcipulis Chriſtum dediſſe mandatum prædicandi verbum Dei, at primum mandatum & præcipuum dedit Chriſtus duodecim Apoſtolis & præcepit vt euntes prædicarent, dicentes appropinquauit regnū cœlorum *Math* 10. 7. idem dixit ſeptuaginta Diſcipulis *Luc.* 10. 9. Dixit Dominus duodecim Apoſtolis infirmos curate *Mat.* 10. 8. idem dixit ſeptuaginta Diſcipulis *Luc.* 10. 9. Dixit Chriſtus duodecim Apoſtolis. Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui miſit me. *Mat.* 10. 40. Ait quoque ſeptuaginta Diſcipulis, qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Expreſſam poteſtatem dedit Chriſtus duodecim Apoſtolis eijciendi Dæmonia. *Matth.* 10. 1. & v. 8. *Marc.* 3. 15. & *Luc.* 9. 1. Videtur eandem poteſtatem non dediſſe expreſſam ſeptuaginta Diſcipulis, at videtur in eo contineri quod ait, curate infirmos. Nam ij qui a Dæmonijs poſſidebantur infirmi erant. ideoque ſeptuaginta Diſcipuli redeuntes lætabantur eo quod etiam Dæmonia eis ſubijciebantur, nomine ſuo. Quibus Chriſtus reſpondit videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem, Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & nihil nocebit vobis. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod ſpiritus vobis ſubijciuntur, gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Nomina quidem duodecim Apoſtolorum ſcriptis expreſſa ſunt ſæpius in nouo Teſtamēto, at ſeptuaginta Diſcipulorum nomina nuſquam ſcripta reperiuntur, niſi paſſim hinc inde in quibuſdam locis ſcripturæ quædam illorum

nomina reperire licet, sicut & apud historicos Ecclesiasticos. Quæri potest num cum Christo perseuerauerint, an vero eum deseruerint, sicut aliqui deseruerunt eum *Io.6.60.* Respondeo eos non deseruisse Christum, quoniam de eis dixit Christus, quod eorum nomina erant scripta in cœlis, quinetiam sermo ille Christi *Johannis 6.* fuit ante missionem septuaginta Discipulorum de qua agitur *Luc.10.* Nam sermo ille Christi quem D. *Iohannes* exponit, fuit habitus super miraculo quinque panum & duo piscium, quod exponitur *Io.6.5.* & *Luc.9.13.* at missio septuaginta Discipulorum exponitur *Luc.10.* post ipsum miraculum præcedenti capite expositum. Quinetiam vocationem vnius illorum ita exponit D. *Lucas*, factum est autem, inquit, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum, sequar te quocunque ieris, dixit illi Iesus *Luc.9.5.* Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ait autem ad alterum, sequere me, ille autem dixit, Domine permitte mihi primum ire & sepelire patrem meum, dixit ei Iesus, sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade annuncia regnum Dei. Etenim cum hunc vocaret ad annunciandum regnum Dei iam miserat duodecim, & paulo post misit septuaginta Discipulos. Quæri etiam potest num Apostoli & septuaginta Discipuli baptizauerint ante Christi passionem. Respondeo Apostolos quidem baptizasse, vt constat ex *Io.3.22.* & *4.2.* De septuaginta Discipulis hoc non expressum inuenimus, sed eos esse missos ad annunciandum regnum Dei, & metaniam cuius Baptismus est correlarium. Ita vt verisimile quidem sit eos sicut & Apostolos baptizasse.

Nunc quæri potest num missio horum septuaginta Discipulorum quæ fuit ante passionem Christi, si nulla existeret missio post Christi resurrectionem, sufficeret, ad id vt septuaginta Discipuli annunciarent regnum Dei? respondeo sufficere. Etenim dona Dei & eius vocatio sunt ἀμεταμέλητα, *Rom.11.29.* Ita vt nemo vocatus ad ministerium verbi Dei, possit prohiberi aut arceri ab ipso ministerio sibi semel credito, nisi ipse se indignum vocatione sua reddiderit.

Quæri etiam potest num septuaginta Discipuli post resurrectionem Christi fuerint missi, ad prædicandum Euangelium? Respondeo missos fuisse, idque eodem die quo Christus a mortuis resurrexit. Etenim die resurrectionis, Christus apparuit duobus ex illis septuaginta Discipulis euntibus ad Castellum *Emaus.* qui erant etiam ex quatuor fratribus Christi, videlicet *Iacobus* & *Cleopha*, & postea duodecim Apostolis & alijs Discipulis. Nam *Luc.24.21.* ostenditur quomodo *Iacobus* & *Cleopha* tertia die ab eo quo Christum Iudæi cœperant qui erat dies resurrectionis & die quo mulieres ante lucem venientes ad Sepulchrum ab Angelis audiuerant, eum resurrexisse a mortuis, viderint Christum ad *Emaus*, & statim venerint Ierosolyma, ad locum vbi erant duodecim & ij qui cum illis erant. Nunc quæso quinam erant ij qui cùm Apostolis erant nonne septuaginta Discipuli? certe ij non sunt ab illa societate excludendi, & nemo potest eos excludere, quùm illi essent proximi ad annunciandum Euangelium post vndecim Apostolos. At *Io.20.19.* Iterum docetur quomodo die resurrectionis Christus venerit ad Discipulos suos vnà congregatos. Non dicit ad Apostolos, nec ad septuaginta Discipulos, sed ad

Discipulos

Discipulos, generaliori vocabulo, quod complectitur & ipsos Apostolos, & alios Discipulos, quorum præcipui erant fratres Domini & reliqui de numero septuaginta. Christus vero insufflauit eis dicens accipite spiritum sanctum & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Hoc dictum fuit Discipulis, & nemo potest id astringere duodecim Apostolis, at omnino dicitur ijs omnibus quos Christus miserat ad prædicandum regnum cœlorum, quibus continuabat mandatum semel datum & illud ea ratione renouabat.

Inter septuaginta Discipulos præcipui fuerunt quatuor fratres Domini, *Iacobus* quidem qui fuit primus Episcopus Ierosolymitanus, & *Simon Cleopha*, qui fuit secundus Episcopus Ierosolymitanus, & hi duo erant in via *Emaus*, cum Dominus eis apparuit post resurectionem *Luc.* 24. & *Iose*, & *Iuda*, qui vnà cum *Sila* missus fuit ab Apostolis Antiochiam, *Act.* 15. Ex ijs septuaginta erant *Mathias* qui fuit promotus ad Episcopatum loco *Iudæ* proditoris, quinetiam vt *Eusebius* testatur. *Barnabas*, qui in sorte erat cum *Barnaba* positus, Neque ego dubito quin ex illis esset *Nathanael*, quem *Philippus* vocauerat *Io.* 1. 45. & erat cum *Petro* & *Thoma*, & filijs *Zebedei*, & alijs duobus Discipulis ad mare Tiberiadis, cum Christus eis apparuit, quinetiam *Iohannes Marcus*, non quidem Euangelista, sed alius quem *Paulus* & *Barnabas* secum è Ierosolymis adduxerunt, cuius mater erat *Maria* apud quam multi erant congregati Ierosolymis, ea nocte qua D. *Petrus* fuit è carcere *Herodis* liberatus ab Angelo, ad cuius ædes se *Petrus* contulit, *Act.* 12. 12. Necnon & Doctores qui cum *Barnaba* & *Paulo* erant in Antiochia vt *Agabus* *Act.* 11. 28. & *Simon* Niger. Necnon & *Mnason Cyprius* antiquus Discipulus, *Act.* 21. 16, qui tunc erat in Cæsarea, & videtur esse ex ijs qui primi venerunt in Antiochiam, inter quos erant quidam *Cyrenei* & *Cyprij*, *Act.* 11. 20. Nam *Lucius* erat *Cyrenæus*, & *Mnason Cyprius*. *Euseb.* lib. 1. c. 13. ait *Barnabam* vnum ex illis fuisse, & *Cepham*. Cum enim duo essent *Cephæ*, sicut tres *Iacobi*, & duo *Philippi*, factum est, vt *Clemens* & alij *Cepham* qui erat è numero septuaginta, putarint eum esse qui à *Paulo* fuit reprehensus, at falluntur. Nam D. *Paulus* de *Petro* Apostolo loquitur *Galat.* 2.

Eodem loco *Eusebius* recenset *Matthiam*, qui fuit in numerum Apostolorum ascitus, quinetiam fratres Domini seruatoris. Et lib. 3. c. 36. *Aristionem* & *Iohannem* Presbyterum inter Christi discipulos connumerat. Nec pretermitti debet quod *Eusebius* ex *Clementis* septimo Hypotyposeon libro citat. Hist. *Eccles.* lib. 2. c. 1. *Iacobo* inquit, *Iusto* & *Ioanni* & *Petro*, post resurrectionem suam Dominus scientiam tribuit, illi vero reliquis Apostolis tradiderunt: Apostoli postea septuaginta Discipulis è quorum numero erat *Barnabas*.

Quæri potest num Apostolis succedant Episcopi & septuaginta Discipulis Presbyteri. Respondeo succedere. Quod enim Episcopi succedant Apostolis apparet, primò ex eo quod Apostoli munus vocatur Episcopatus *Act.* 1. Ex quo etiam fit vt *Iacobus* frater Domini qui erat ad Episcopatum Ierosolymitanum promotus, inter Apostolos connumeretur. Hinc fit vt *Cyprianus* lib. 3. Epistolarum, Epist. 9. dicat Apostolos, id est, Episcopos & præpositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini, in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.

Presby-

Presbyteros vero succedere septuaginta Discipulis apparet ex Actis Apostolicis, vbi cum congregaretur Concilium celebratum *Act.* 15. dicuntur congregati fuisse Apostoli & Presbyteri, subducamus ergo Apostolos, videlicet duodecim Apostolos, & *Jacobum* fratrem Domini, & *Barnabam*, & *Paulum*, reliqui erant Presbyteri inter quos erant *Iudas* frater Domini. & *Silas* qui erant de numero septuaginta Discipulorum, nec dubium est quin inter illos esset *Cleophas*, qui Ierosolymis constitit, donec successit *Iacobo* in Episcopatu, & exinde vsque ad centesimum & decimum annum a Christo nato. Itaque aut reliqui Presbyteri erant de numero septuaginta, aut in eorum numerum adsciti. Sicut *Iacobus* & *Paulus* & *Barnabas* fuerunt in numerum Apostolorum ascripti. Et quum D. *Paulus* Ierosolyma postremo venisset, *Act.* 21. Inuenit illic *Iacobum* solum ex Apostolis, i. est, Episcopum Ierosolymitanum, ad quem venit *Paulus* & ad illum omnes Presbyteri conuenerunt, & *Paulum* monuerunt, vt cum alijs quatuor coram Iudæis purificaretur. Presbyteros vero Apostolo seu Episcopo obediuisse & cathedræ honorem detulisse non est dubium. Ex quo fit vt hæc dicat *Cyprian.* lib. 3. Epistolar. Epist. 14. Aliqui de Presbyteris nec Euangelij nec loci sui memores, sed neque futurum iudicium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod nunquam sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contempta præpositi, totum sibi vendicant. Vbi notare potes *Cyprianum* antiquissimum authorem & Apostolis propinquum testari sub Antecessoribus nunquam fuisse factum vt neglecto Episcopo Presbyteri totum sibi vendicarent, sed potius Episcopo seu præposito honorem cathedræ reseruarent. Idem eiusdem lib. Epist. 15. & 16. Quid ei obijcient noui censores status Episcopalis?

CAP. VI.

Num iura antiqui Sacerdotij in nouo testamento fuerunt antiquata.



Quæri potest num iura antiqui Sacerdotij sint translata ad Episcopos, an vero antiquata, ego translata esse assero, & non antiquata. At vt hoc intelligatur, nosse oportet in antiqua lege *Mosaica* quædam esse præcepta consuetudinem populi *Jsraelitici* exponentia, potius quam naturæ legem, & ea ad alias gentes non transferuntur, vt aliarum gentium consuetudines euertant etiamsi *Jsraelitæ* has consuetudines sub ipsa lege naturæ obseruauerint, qualia sunt, vt frater excitet semen fratri defuncto, & S. quædam conceduntur potius quam statuuntur, & præter primitiuam æquitatem permittuntur propter cordis duritiem, vt Polygamia et diuortium, nouum Testamentum vero ea corrigit, exponens priscam æquitatem. Quædam præcipiuntur propter ceremoniam vt sacrificia, quorum literalis oblatio tollitur: quædam vero exponuntur secundum naturæ equitatem, & naturalem politiam et rationem et ea perpetua sunt, et non antiquata. Verbi gratia, sub lege Naturæ *Abraham* decimas dedit

dedit *Melchisedecho*, & hoc non erat ceremoniale sed politicum, idem Politiæ *Mosaicæ* æquitas constituit. Ergo præceptum illud in nouo testamento non fuit antiquatum. Christus loquens de decimis et de misericordia & iudicio et fide, (et quidem eodem tempore quo diuortium corrigebat) ait hæc oportebat facere & reliqua non omittere. Numquam dixisset Christus ea non oportere omittere, si corrigenda fuissent. Nam plane ea confirmabat, tantum abest vt adimeret: ex quo fit vt D. *Paulus* 1. *Cor.*9. Qui quidem noluit dare mandatum sed consilium, vbi Dominus mandatum non dederat, tamen non dubitet hoc ius ex mandato Domini ad Pastores christianos transferre. Ait enim eos qui in Sanctuario ministrant, quæ de Sanctuario sunt edere, & qui altari deseruiunt cum altari participare, quod complectitur omnia iura leuitica pendentia ex decimis et primitijs quæ ad Sanctuarium et altare pertinebant. Et statim subiicit. SIC id est similiter & simili iure et ratione Dominum ORDINASSE ijs qui Euangelium annunciant, vt de Euangelio viuant. Apertè docet D. *Paulus* Dominum ordinasse, etiamsi ipse neque vsus sit eo iure, nec ea scribat, vt hæc sibi fiant: Itaque ea exponit propter alios et nō propter seipsum. At nemo debet ordinationem Domini contemnere, vt ea pastoribus adimat, quæ ipsis dominus dedit, vocatur enim in antiqua lege Sanctitates sanctitatum, et ideo Sacrilegium est ea diripere. Ipsi vero videant, vt sanctis rebus sancte vtantur. Et secundum ea quæ hic docentur ex *Math.*23. & 1. *Cor.*9. etiam canones Apostolorum pastoribus sua iura conseruant. Consimili ratione ordo antiquorum Sacerdotum transfertur ad pastores Euangelicos. Nam etiam *Aaronis* Sacerdotium non fuit perfecta figura Sacerdotij Christi, sed *Melchisedechi* Sacerdotium, at *Aaronis* sacerdotiū quod vni populo et genti *Israeliticæ* præponebatur erat figura primatum Christianorum, qui singulis gentibus præpositi fuerunt. Itaque quod fuit *Aaron* in populo *Israelitico*, id est quale fuit Sacerdotium in Palæstina *Iudæa*, idem fuit D. *Iacobus* frater Domini Episcopus *Ierosolymitanus*, & post illum *Simon Cleopha*, deinde tredecim alij Episcopi ex consanguineis Christi, & alij Episcopi *Ierosolomitani*. Ii enim idem ius possidebant quod successores *Aaronis*, & iisdem ciuitatibus iure præficiebantur similiter et *Titus* præficiebatur toti genti *Cretensi* cui D. *Paulus* dabat πᾶσαν ἐπιταγὴν *Tit.*2.15. Quid amplius habuit *Aaron?* Idem ius D. *Marcus* habebat in *Aegypto*, *Libia* & *Pentapoli*. Idem ius D. *Ioannes* in septem Ecclesias *Asiæ*, idem *Barnabas Mediolani*, et *Euodius Antiochæ*, & *Clemens Romæ*, & postea *Irenæus* in *Gallia*. Idem *Silas Corinthiorum* episcopus in *Achaia*, & post illum *Dionisius*, Idem *Hermas* apud *Philippenses* quorum vrbs erat prima partis *Macedoniæ*, & alij innumeri. Obiicies ea quæ in Euangelio continentur, quod cum Apostoli quærerent quis maior, Christus nullū maiorem statuere voluit. Respondeo me concedere inter Apostolos potuisse quidem esse ordinis προεδρίαν, nō tamē gradus differentiam, omnes enim in eodem gradu erant, nec tantū hoc concedo, sed etiā confirmo authoritate *Ciprjani*, dicentis, Hoc erant vtiq; et cæteri Apostoli quod fuit *Petrus* pari consortio prædití, & honoris & potestatis. Sed exordiū ab vnitate proficiscitur vt Ecclesia vna monstretur. Hæc *Ciprianus* Lib. de *Simplicitate prelatorum*. Itaque Apostoli erant quidem inter se æquales, ita vt vnus alteri non præficeretur, sed gentibus ad quas

D mit-

mittebantur. Ita D. *Iacobus* Episcopus *Ierosolymorum* et *Palæstinæ*, non erat maior *Thaddeo* Episcopo *Edessenorum* in *Mesopotamia*, aut D. *Ioanne* Episcopo *Asiæ*, at ex eo non sequitur quin *D.* *Iacobus* idem haberet ius in *Palæstina* quod *Aaronis* successores, & quin Presbyteri et episcopi totius *Palæstinæ* essent eo minores. At dices Christum dixisse Apostolis Reges terræ dominantur eis & Magnates authoritatē excercēt, vobis autem non erit sic. Quid ex eo infers, ius *Aaronis* esse antiquatum? At nos non concedimus *Aaronem* dominium habuisse sicut Reges et principes terræ. Nam certe si *Aaron* dominatus esset vt Principes terræ, tunc illud sublatum esset, at sumis *Mosem* loco *Aaronis*. Etenim *Moses* dominatus est sicut Reges & Principes & Magnates, & eādem exercuit authoritatem, scilicet ciuilem. At *Aaron* non eandem exercuit dominationem ciuilem, sed ecclesiasticam iurisdictionem. Apostoli vero existimabant Christum regnaturum vt Regem terrenum, & ideo sperabant se futuros regni illius principes, & vt reges et principes terrenos dominaturos. Christus ergo cum eius regnum non esset ex hoc mundo, & cum eos vocaret ad ecclesiasticam gubernationem, non ad ciuilem dominationem, præcipit ne ipsi dominium appetant vt principes terræ, quinetiam docet si quis tale quid ambiat, eum debere esse omnium ministrum. At hoc non detrahit iuri sacerdotali *Aaronis* neque illud antiquat, non enim *Aaron* sed *Moses* dominabatur vt reges terreni. Certe hoc Pontificibus Romanis obiici potest, qui non modo *Aaronis* iurisdictionem vsurpant, sed etiam *Mosis* & Regum ciuilem dominationē. Cæterum si quis dicat Dominum ideo antiquasse iura antiqui Sacerdotij cum suis Apostolis prohiberet ne dominationem vt Reges terræ acciperent, oportet vt probet hoc dominium fuisse datum *Aaroni*, deinde probabit antiquatum esse. Atque hoc quæro si politia *Israelis* sit antiquata sicut et ceremonia. Cur dicit D. *paulus* nos ante aduentum Christi fuisse alienos a politia *Israelis*? Aut quomodo dicere posses Grece politiam *Israelis*? nisi verbis quibus D. P*aulus* vtitur cum ait nos fuisse ἀπηλλοτριωμένους τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ. Nunc vero per Christum factos esse per eandem politiam συμπολίτας τῶν ἁγίων. Ephes. 2. Iam quæso quomodo et quo iure possunt esse Prophetis sympolitæ qui eorum politiam respuunt? At quamuis eorum politiam admittamus, non sequitur debere recipere nos easdem ceremonias per Christi mortem sublatas, aut consuetudines, in quibus Deus indulsit & aliquid concessit populo suo, nec concessiones factas propter cordis duritiē, sed pura præcepta ex iure Naturæ pendentia. Hæc vero iura quæ nos producimus, tantum abest vt fuerint antiquata, quod contra plane fuerunt confirmata, quod nos abunde probauimus. Est lex bona si quis legitime ea vtatur 1. *Tim.* 1. Quis est legis legitimus vsus? vt ex *Act.* 15. et Epist. ad *Heb.* Et simil. literales ceremonias respuas. Retenta ex *Ephes.* 2. *Israelis* politia, præmissis tamen circumspectionibus a nobis expositis.

Si quis velit verbum Dei legitime exponere, ijs tribus regulis vt subiiciatur necesse est, prima est ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, apodixis seu demonstratio spiritus et potentiæ, quæ perpetua testimoniorum Scripturæ inter se collatione rem probat et statuit. Secunda est analogia fidei, quæ est logorum seu rationum similitudo, et ex rationum similitudine, ex cognitis rationibus incog-

incognitas inferre potest,ita vt demonstratio conferat,analogia inferat,sicut videmus apud Mathematicos demonstrationis & analogiæ regulas esse certissimas et minime fallaces, quia nituntur indubitatis στοιχείοις id est elementis et fundamentis certissimis. At in sacra Scriptura habemus similiter τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων θεοῦ. Nouimus enim verba Dei non modo vera esse,sed et ipsam veritatem,quare si quis verbum Dei tractet apodictice et analogice,fideliter tractare potest,sed insuper hanc regulam subijcere cogor ex *Apocalypsi*, vbi proponuntur fideles de bestia triumphantes, canentes canticum *Mosis* et agni super citharis, ex quibus edocemur *Mosem* & Agnum non duo cantica cecinisse quæ possint esse inter se dissona,sed idem canticum super citharis harmonicis cantandum.Itaque doctrina *Mosis* harmonicè conuenit cum Christiana, & ille consensus a Christianis est celebrandus. Non ergo quæras δυσφωνίαν inter *Mosem* et Agnum, sed concentum. Non enim venit Christus ad legem abolendam,sed implendam,neque esset hoc legem implere, sed abolere. Cæterum præceptum hoc exponendi verbum Dei apodictice, analogicè, et harmonicè,iure potest comparari aureo calamo metrico,nam apodixis et analogia, sunt regulæ metricæ ex elementis Geometricis desumptæ, et consensus harmonicus doctrinæ *Mosis* et Agni est preciosior auro & gemmis. Canon igitur illum consentum apodicticè et analogicè exponendi est calamus ille aureus de quo *Apoc* 11. et Cap. 22.15. quo noua *Ierusalem* mensurabitur. Si quis autem ex Euangelio vellet leges veteris fœderis antiquare: sciat nouum Testamentum eis non abrogare, sed derogare, nouimus enim derogare legi, esse ipsius partem infirmam tollere, vt præstantior pars magis firmetur: at abrogare legem, est eam prorsus tollere, quod nemo potest facere ex nouo Testamento,quoniam hoc esset contradictionem inducere in verbo Dei. At nouum Testamentum non contradicit veteri,sed ex vetere comprobatur.Ideoque tantum abest vt D. *Paulus* contra priuilegia Sacerdotum armauerit nouum Testamentum, quod contra ea ex veteri Testamento comprobauit, & ideo multas probationes ex antiquo fœdere ad illum finem produxit 1. Cor. 9. Hoc ego dico,assero,statuo,iura ecclesiastica antiqua fuisse translata ad Clerum Christianum,& æquitatem naturalem politiæ *Mosaicæ* remanere sub nouo Testamento, sublatis concessionibus,consuetudinibus, literalibus ceremonijs,& similibus rebus. Hoc inquam statuo, tamen non illo axiomate,nitor, quoniam ex illo nihil infero, vt depromam iura Ecclesiastica ex antiquo fœdere,sed ex nouo, at hoc obiter exhibeo vt abundantem cautelam & probationem. Proinde si quis hoc euerteret, quod nouimus euerti non posse, tamen nihil ageret,quoniam tantum proponitur theoriæ gratia, et omnia iura ecclesiastica ex nouo Testamento deriuamus.

CAP. VII.

De sententia Ieronymi ex qua aliqui conantur demonstrare Episcopum & presbyterum idem esse, & Episcopalem statum ex consuetudine pendere.



Apides preciosi habent interdum suos næuos, sic etiam interdum antiqui doctores, si quis ergo veterum sententiam ad aliquid statuendum proferat, iudicio vtatur, ne eorum næuos producat ad euertendam veritatem, aut eos vt clypeos orthodoxæ sententiæ obtendat. Hoc dico quia aliquos video qui vt tueantur confusionem doctrinæ statuentem æqualitatem Pastorum, producunt pro latibulo erroris sententiam Ieronymi, id est, eius næuum, qui tamen parum eis prodesse potest vt ex sequentibus clarum fiet.

Ait *Ieronymus* ad Oceanum, Apud veteres inquit, ijdem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud dignitatis nomen est, hoc ætatis.

Presbyteri nomen ab ætate desumptum est, seu potius a ratione ætatis, nam senes iunioribus esse solent sapientiores. Tamen interdum fit vt ij qui ætate præmatura sunt, iudicio maturo sint præditi, & ideo in ipso adolescentiæ flore ad senatum vocentur, & ea in re ostendunt Presbyterorum nomen etiamsi a ratione ætatis sit desumptum, tamen non ætatis sed dignitatis nomen esse. Omnes senes ætate, nõ sunt senes iudicio, neque omnes qui sunt maturo præditi iudicio sunt ætate senes. Ex quo fit vt omnes qui ad dignitatem presbiterij vocantur, non sint ætate senes. Certe omnes episcopi sunt presbiteri etiam si omnes presbiteri non sint episcopi, et omnes Apostoli erunt Presbyteri, etiamsi omnes Presbyteri non sunt Apostoli. Et D. *Io.* Baptista, et D. *Ioh.* Apostolus, et Timotheus ad senatum ecclesiasticum in florente ætate vocati fuerunt. Erant presbiteri non ratione ætatis sed dignitatis. Hinc *Ambros.* 1. *Tim.* 4. ait *Timotheum* ætate iuuenem moribus vero et conuersatione seniorem & grauem. Vtrumque ergo est nomen dignitatis & honoris si cum *Cypriano* loquamur. At Episcopi nomen est maioris dignitatis, & Presbyteri nomen ab ætatis ratione desumptum est, etiamsi ætati non astringatur. At esto sint nomina paria prout vult *Ieronymus*, num ex eo sequitur officia esse paria? Imo sumamus idem fuisse quoad nomen, poterant tamen reipsa dispares esse. Erant sub antiqua lege Sacerdotes, & tam summus Sacerdos quam infimi, Sacerdotis nomine fruebatur. Num tamen ex eo sequetur æquales fuisse? Sunt aliqui Iudices infimi, alij superiores, alij summi, omnes idem nomen iudicis possident, num tamen ex eo sequitur eos esse æquales? Quam ineptum esset quæso si quis hoc inferre vellet, sunt nomina paria, ergo officia sunt æqualia?

In Epistola ad *Euagrium* hæc conscripsit *Ieronymus*, Apostolus perspicue docet eosdem esse Presbyteros & Episcopos. Quæris authoritatem? audi testimonium *Philip.* 1. 1. *Paulus* & *Timotheus* serui Christi Iesu omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt *Philippis*, cum Episcopis & Diaconis.

Ratio *Ieronymi* hæc est in eadem ciuitate non possunt esse Episcopi plures quam vnus, Presbyteri plures in eadem ciuitate esse possunt. At in ciuitate *Philippensi* plures Episcopi salutantur, ergo nomine Episcoporum Presbyteri salutantur. Ego quidem fateor in eadem ciuitate plures Episcopos non fuisse, sed plures Presbyteros in ciuitate eadem fuisse. At hoc non negabit quod ego proponam, sub eadem ciuitate plures Episcopos fuisse, videlicet quando ciuitas erat prima, seu Metropolis. Etenim sub eodem primate aut Metropolitano plures Episcopi esse possunt. Itaque debuit *Ieronymus* hoc nosse, quod quanuis in vna ciuitate non sint plures Episcopi, tamen sub eadem Metropoli plures Episcopos esse posse. Quæramus igitur num *Philippensium* ciuitas esset prima seu Metropolis. Et inueniemus, *Act.* 16. 12. *Philippos* esse primam ciuitatem partis Macedoniæ, & Coloniam, eius ergo Episcopus erat Primas, qui alios sub se Episcopos habebat: hi sunt quos D. *Paulus* salutat. At dices D. *Paulum* salutare tantummodo ciuitatem, non autem totam illam regionem. Imo D. *Paulus* vna cum Metropoli salutabat prouinciam vt apparet ex 2. Corinth. vbi cum Corintho Achaiæ Metropoli, Achaiæ prouinciam salutat. Producat igitur *Ieronymus* solidiora argumenta nam ex hoc loco nihil aliud potest concludere, quàm hoc, quod D. *Paulus* salutabat Ecclesiam quæ erat in ciuitate *Philippensi*, cum Regione Macedoniæ, quæ ab illa pendebat, & salutabat primatem prouinciæ, vnà cum suis coepiscopis & comprouincialibus, ab eo pendentibus.

Idem *Ieronymus* pergit his verbis. Vis & aliud exemplum? Idem ad vnius Ecclesiæ Ephesi Sacerdotes ita loquitur. Attendite vobis, & cuncto gregi in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos vt regatis Ecclesiam, &c.

Non debuit *Jeronymus* de re graui leuiter iudicare, neglectis circumstantijs ex quibus totius negotij lumen pendet. Vt ergo maturius omnia iudicari queant, nos eas quas ipse omisit circumstantias repetemus. Erat D. *Paulus* ex Græcia & Macedoniâ ad fratres qui erant Ierosolymis nauigaturus. Et quia nouerat se nunquam amplius in Asiam venturum, voluit Asiaticis valedicere, & ideo Epheso transire, at quum insidiæ Iudæorum obstarent, misit ad Presbyteros Ephesinos mandans vt *Miletum* ad se venirent, quod ab ipsis factum est. Erant autē tunc cum D. *Paulo* viri clarissimi vt testatur Scriptura loco eodem *Act.* 20. 4. videlicet *Sosipater, Aristarchus,* & *Secundus*, & *Gaius*, & *Timotheus*, & *Tichicus*, & *Trophimus*. Quorum quidem *Sosipater* erat Episcopus *Iconij*, & *Timotheus* Episcopus Ephesi, & *Tichicus* Chalcedone Bithyniæ, *Euseb.* & *Dorothei* synopsis. D. *Paulus* vero cum venissent Presbyteri Ephesini habuit concionem valedictoriam, qua valedicebat, non tantum Presbyteris Ephesinis sed etiam Episcopis qui cum illo *Miletum* vsque venerant, nec illis tantum sed etiam omnibus Asiaticis, vt constat ex his verbis D. *Pauli*. Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualis vobiscum per omne tempus fuerim. Et rursus. Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam, vos omnes per quos transiui prædicans regnum Dei. Si alloquebatur omnes ad quos transiuerat, non solos Presbyteros Ephesinos, & hoc debuit videre *Ieronymus*. Quis etiam dixit *Ieronymo* D. *Paulum* seperasse à se *Timotheum* Episcopum Ephesinum cum eius Presbyteros alloqueretur? Aut quæ ratio

postulabat vt valediceret Presbyteris Ephesinis, non autem *Sosipatri, Timotheo*, & *Tychico* Episcopis, qui cum illo eousque venerant? Et cum omnibus simul valediceret, inter quos tres cognoscuntur fuisse Episcopi. Certe cum Episcopis greges suos commendat, ratio postulat vt Episcopos nomine Episcoporum potius quam Presbyteros alloquatur.

Prosequitur propositum suum *Ieronymus* his verbis. Ac nequis contentiose in vna Ecclesia plures fuisse Episcopos contendat, audi alibi manifestissime comprobari eundem esse Episcopum & Presbyterum. Reliqui te, ait *Tito*, in Creta, vt constituas Presbyteros per ciuitates si quis est sine crimine, oportet enim Episcopum sine crimine esse. 1. *Tim.* 3. 2. *Tit.* 1.

Huic obiectioni satisfacit *Ambrosius* in 1. *Tim.* 3. vbi ait omnem Episcopum esse Presbyterum, at omnem Presbyterum non esse Episcopum, & ideo descriptio morum Episcopi quæ habetur ibid. complectitur descriptionem morum Presbyteri: quia illa integritas morum de qua loquitur D. *Paul.* vt sint irreprehensibiles, pertinet ad Episcopos & Presbyteros, præcipuè verò ad Episcopos, quia ipsi sunt præcipui inter Presbyteros, quinetiam ideo Presbyteros irreprehensibiles esse oportet, quia Episcopi debent esse irreprehensibiles, & Episcopi è Presbyteris desumuntur. Hæc nullam inferunt inter Episcopos & Presbyteros confusionem.

Insuper hæc superioribus adijcit *Ieronymus*. *Petrus* quoque 1. cap. 5. Presbyteros precor inquit, compresbyter, gregem regere & inspicere, quod Græcis dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes vnde tractum Episcopi nomen, *Iohannes* denique Presbyter ait electæ Dominæ, & Presbyter *Gaio* charissimo. 2. & 3. *Johann.*

Huic obiectioni satisfacit *Ambrosius* loco superius citato, vbi ait omnes Episcopos esse Presbyteros, at omnes Presbyteros non esse Episcopos, & certe si quis vellet ex eo Presbyteros cum Episcopis confundere, quia Episcopi se Presbyteros nuncupant, aut alios Episcopos Presbyterorum nomine designant, is etiam pari iure posset Episcopos cum Diaconis confundere, quia D. *Paulus Timotheo* dicit, καλὸς ἔσῃ διάκονος, bonus eris Diaconus Christi. 1. *Tim.* 4. 6. Episcopus potest se vocare Presbyterum & Diaconum, At Presbyter omnis & omnis Diaconus, non possunt se vocare Episcopos, quia in maiori gradu inferiores continentur, at in inferioribus superior non continetur. Itaque se Apostoli Presbyteros vocarunt iure, at omnes Presbyteri non debent ideo se Apostolis adæquare. Sic *Cyprianus* vocat Presbyteros suos compresbyteros, quis tamen ex eo inferet eum confundere, aut promiscuè vsurpare nomen Presbyteri pro Episcopo? D. *Petrus* vero in loco quem *Ieronymus* citat alloquitur generaliter Presbyteros, præcipuè verò Episcopos qui sunt præcipui & primarij ex illis, & ijs præcipit ἐπισκοπεῖν cum ait ἐπισκοποῦντες. At ideo non debet *Ieronymus* tollere distinctionem quæ est inter σκοπεῖν καὶ ἐπισκοπεῖν. Etenim hic quia D. *Petrus* alloquitur primarios Presbyteros in Epistola Catholica, vult eos esse ἐπισκοποῦντες. At D. *Paulus* in Epistola ad Romanos. c. 16. 17. quia ad illos Presbyteros qui non erant Episcopi scribebat, vult eos σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας ποιοῦντας, id est inspicere eos qui faciebant diuisiones. Ergo quibusdam Scriptura præcipit σκοπεῖν, alijs ἐπισκοπεῖν, hanc distincti-

distinctionem perpendere debuit *Ieronymus* antequam de re tam graui iudicium proferret. Quinetiam & *Heb.* 13. docetur eos qui præsunt vt rationem de animabus nostris reddituri, pro nobis ἀγρυπνεῖν, & in Euangelio Virgines iubentur cum lampadibus γρηγορεῖν.

Ad *Ieronymum* redeo. Quod autem, inquit, vnus post electus est, qui cæteris præponeretur in Schismatis factum est remedium ne vnusquisque ad se Christum trahens ecclesiam rumperet. Fateor propter schisma *Demetrianum* D. *Paulum*, rogasse *Timotheum* vt remaneret Ephesi, vt quibusdam vtpote Schismaticis denunciaret ne aliter docerent. At *Titum* in Creta nullo existente Schismate reliquit, vt ea quæ deerant corrigeret, & per singula oppida Presbyteros constitueret.

Ieronymus quoque hanc rationem subiecit. Nam & Alexandriæ a *Marco* Euangelista ad *Heraclam* vsque & *Dionysium* Episcopos Presbyteri vnum semper ex se electum in celsiori gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faceret.

Nequis in errorem inducatur ex dicto *Ieronymi*, nosse oportet Presbyteros *Alexandrinos* vnum è suo consortio electum nominasse, sicuti Presbyteri *Ierosolymitani Matthiam* Apostolum nominarunt. *Act.* 1. At sicut Apostoli *Matthiam* consecrarunt, & tres Apostoli *Paulo* & *Barnabæ* manus societatis dederunt, sic & alij Episcopi illos Episcopos *Alexandrinos* à Presbyteris electos & nominatos consecrabant. Nam si ordinatio Presbyterorum ab Episcopis pendeat, sicut & Diaconorum vt apparet, ex *Act.* Apost. & Epist. ad *Timoth.* & *Tit.* multo magis & Episcoporum ordinatio ab alijs Episcopis debet celebrari.

Interim notandum est *Ieronymum* fateri Episcopum fuisse in celsiori gradu collocatum. Non ergo fauet *Ieronymus* ijs qui volunt Pastores omnes Ecclesiæ adæquare.

Hoc tandem adijcit *Ieronymus*, quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Respondeo Episcopum accepisse πᾶσαν ἐπιταγὴν. *Tit.* 2. 15. vt cum authoritate corrigat ea quæ desunt in tota diocesi sua *Tit.* 1. insuper vt cum authoritate denunciet erroneis ne aliter doceant 1. *Tim.* 1. hæc facit Episcopus præter ordinationem quæ Presbyter non potest facere, etiam si hæreticis & erroneis possit Presbyter sese opponere, & eis resistere, & interdum expugnare, tamen eos coercere non potest. At Episcopus potest, ex sua ἐπιταγὴ, id est authoritate.

Idem *Ieronym.* in Epistolam ad *Titum* ita loquitur. Idem inquit Presbyteri qui et Episcopi, et antequm Diaboli instructu studia in religione fierent, et diceretur in populis, Ego sum *Pauli*, *Apollo* & *Cephæ*, 1. Cor. 1. 3. communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.

Libenter vellem quempiam videre qui exponeret sententiam *Ieronymi*, aut ostenderet de quo tempore loquitur. Aut tempus in quo Ecclesiæ gubernabātur communi Presbyterorum consilio. Nam si de tempore Apostolorū loquatur antequā apud *Corinthios* diceretur Ego sum *Pauli*, ego *Apollo*, ego vero *Cephæ*, satis concedemus Apostolos inprimis presbyteros constituisse. At ideo nō sequitur Ecclesias fuisse gubernatas communi consilio Presbyterorum. Gubernabantur enim prudentia et consilio Episcoporum primitiuorum, id est

Aposto-

Apostolorum. Qui statim cum opus fuit Episcopos constituerunt vt *Iacobum* fratrem Domini *Ierosolymis*, *Timotheum*, *Ephesi*, *Titum* in *Creta*, & alios innumeros alijs in locis, et de tempore post Apostolos non potest hoc affirmari quia Apostoli Episcopos constituerunt.

Ait insuper *Ieronymus* postquam vero vnusquisque quos bapizauerat suos esse non Christi putabat, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus cæteris superponeretur, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, vt Schisimatum semina tollerentur.

Tale decretum fuisse latum concedimus, modo Ieronymus concedat tunc fuisse latum cum primi Episcopi fuerunt Ciuitatibus præpositi, videlicet quando *Jacobus* frater Domini fuit ab Apostolis constitutus Episcopus *Ierosolymitanus*, & *Tymotheus Ephesi*, & Titus in *Creta*, et *Dionysius Areopagita* Athenis, Polycarpus *Smyrnæ*. Nam Ieronymus etiamsi respectu nostri temporis videatur antiquus, tamen nouus author erat respectu eorum quos *Eusebius* producit, qui testantur hos et alios multos fuisse ab Apostolis constitutos Episcopos.

Hæc quoque ait Ieronymus: Vt ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine Episcopo sibi præposito subiectos esse, ita Episcopi nouerint, se consuetudine magis quam Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse maiores.

Dicunt *Aerium* cum esset Presbyter et Episcopus esse non posset, in errorem incidisse quo voluit Presbyteros Episcopis adæquare. Et Ieronymus Presbyter fuit, quinetiam Romanus, et ipse conatur ostendere Episcopos & Presbyteros idem fuisse, & Episcoporum statum ex consuetudine non autem ex Dominica institutione pendere, & ex consuetudine Presbyteros Episcopis esse inferiores. At Cyprianus fuit Ieronymo antiquior et coetaneus Irenæo qui Polycarpũ Angelum Ecclesiæ *Smyrnensis* ad quem filius Dei post resurrectionem scripsit, vidit, Cyprianus vero testatur Dominum constituisse Episcopos cum Apostolos constituisset his verbis. Apostolos id est Episcopos & Præpositos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Lib. 3. Epistol. Epist. 9. et D. Paul. Act. 20. testatur Spiritum sanctum constituisse Episcopos quos ipse alloquebatur. Inter quos erat *Sosipater* Episcopus Iconij et *Timotheus* episcopus *Ephesi*, & Tythicus Episcopus Calcedones quæ est in *Bithynia*, vt *Dorotheus* in sua *Synopsi* docet hos tres fuisse horum locorum Episcopos. Insuper Christus post resurrectionem statum Episcopalem honorauit, cum ad septem Episcopos epistolas septem conscripsit, eos vocans Angelos septem Ecclesiarum *Asiæ*, & ea in re exponens eos esse suos legatos, inter quos erat *Gaius* Angelus Ecclesiæ *Ephesinæ*, & Polycarpus Angelus Ecclesiæ *Smyrnensis*. At hoc fortasse Ieronymũ decepit, quod putauit ius Episcoporum omnino pendere ex consuetudine Ægypti, fallitur vero. Nam ex verbo Dei pendet, Nec Cyprianus hoc ius repetit ex consuetudine Aegypti, sed ex verbo Dei. Quinetiam fortasse eum decepit quod vidit concilium Nicenum repetere ius Metropolitanorum ex antiqua cõsuetudine, at scire debuit ius Metropolitanorum pendere ex antiquo Canone vt apparet ex Antioch. cap. 9. vbi erant vigenti octo Episcopi ex ijs qui Niceno interfuerant Concilio. Aliud est quærere quid generaliter metropolitanis

competat

competat, quod ex Canone pendeat, et aliud quærere quænam Ciuitates huic aut huic metropolitano sint subiectæ. Verbi gratia, ex antiquo canone qui est Apost. *can.* 35. *Alexandrinus* Episcopus erat Primas Aegypti, hoc non pendebat ex consuetudine, sed ex canone. At quod Primati *Alexandrino*, *Libya* & *Pentapolis* subijcerentur, hoc non pendebat ex canone, sed ex consuetudine. Ita oportet res ἰφθονομεῖν et distinguere. Sunt etiam qui ad confirmandam *Ieronymi* sententiam, adducunt *Ambrosium* ad *Ephes.* 4. Nam et *Timotheum* inquit Presbyterum (a se creatum Episcopum) vocat, quia primi presbyteri appellebantur Episcopi, vt recedente eo sequens ei succederet. Sed quia coeperunt sequentes Presbyteri inueniri indigni ad primatus tenendos immutata est ratio, prospiciente concilio, vt non ordo sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet, & esset multis scandalum.

Ait *Ambrosius* *Timotheum* a D. *Paulo* creatum Episcopum, ideo vocari Presbyterum, quia primi Presbyteri nuncupabantur Episcopi. Cur non potius quia in episcopo omnes ordines sunt vt ibidem *Ambrosius* docet? Nam eadem ratione D. *Paulus* eidem Timotheo dicit 1. *Tim.* 3. 6. καλὸς ἔσῃ διάκονος, bonus eris diaconus, quia Episcopus potest presbyter et diaconus vocari, cum in episcopo omnes ordines concurrant. Quod vero ait Timotheum ideo fuisse ordinatum episcopum, quia primi presbyteri vocabantur episcopi, vt ordo non dignitas episcopum faceret, negatur magna cum ratione. Nam *Timotheus* electus fuit quia ab ipsa infantia literas sacras nouerat 2. Tim. 3. 14: et opus Domini operabatur sicut D. *Paulus* 1. *Cor.* 16. et testimonium habuit bonum *Act.* 16. et experimenta edidit bona *Philip.* 2. Ideoque *Ieronymus* hac in re melius sentit, cum ait ab ipso initio quo episcopi creati fuerunt, decretū fuisse latum vt vnus de presbyteris electus cæteris superponeretur, eligebantur enim ab initio, recte assumit superponendi vocabulum quod respondet voci ἐπιταγῆς quam D. *Paul.* *Tito* tribuit. *Tit.* 2. 15. Quid responderet *Clementi* *Ieronymus* et *Egesippo* antiquissimis scriptoribus, qui testantur *Iacobum* fratrem Domini fuisse constitutum ab Apostolis episcopum *Ierosolymitanum*? Qui etiam cum mortuus esset paulo ante destructionem *Ierosolymorum*, iterum Apostoli & eorum discipuli qui superstites erant constituerunt *Cleophā* alium ex fratribus Domini episcopū *Ierosolymitanum*. Quæ omnia inuenies apud *Eusebium* ex antiquissimis scriptoribus collecta hist. ecclesiast. Lib. 2. cap. 1. et cap. 23. et lib. 3. cap. 11. et cap. 29. Possemus producere D. *Marcum* episcopum *Alexandrinum*, et eius successorem *Agnanum* & *Euodium* Episcopum *Antiochenum* & eius successorem *Ignatium* qui ex discipulis Christi fuerunt. Omittam innumeros Episcopos ab Apostolis constitutos, quorum satis magnam syluam inuenies apud *Dorotheū* in eius Synopsi. Sed veniam ad *Policratem* Episcopum *Ephesinum* successorem *Timothei* et *Caij*, sicut & ipsius D. *Iohannes* qui tempore quo Victor excomunicauit *Asiaticos* erat natus annos sexaginta. Ex quo facile est videre eum natū fuisse circiter triginta annos ab obitu D. *Iohannis* prædecessoris sui, & circiter viginti annos post obitum *Cleophæ*, fratris Domini, & habuit vicinum *Polycarpū* discipulum Apostolorum, & ab ipsis constitutum Episcopum *Smyrnensem*, qui vixit vsque ad 7. annum *Marci Aurelij Veri*, sub cuius persecutione martyrio

coronatus est,quo tempore *Policrates* erat fere quadraginta annis natus. Iam audiamus quæ ipse scribat de Episcopis *Asiaticis*. Apud *Euseb* lib.5. cap 22. Magna inquit luminaria in *Asia* obdormiuerunt,quæ in die aduentus Domini resurgent,quando venturus cœlitus cum gloria, ac cunctos sanctos restituet. *Philippus* vnus ex duodecim Apostolis, qui obdormiuit *Hierapoli*, & duæ illius filiæ, quæ in virginitate consenuerunt, et alia eius filia, quæ in gratia spiritus sancti conuersata,requieuit *Ephesi*. Adhuc & *Johannes* qui ad pectus Domini recubuit,& laminam Sacerdotalem gestauit, martyrque ac doctor fuit, *Ephesi* obdormiuit. Denique & *Polycarpus Smyrnensis* Episcopus et martyr,et *Thraseas* ab *Eumenia* & Episcopus & martyr,qui *Smyrnæ* obdormiuit. Quid attinet dicere de *Sagare* Episcopo & martyre, qui *Laodiceæ* obdormiuit? Deinde et de B. *Papyrio*,ac *Melitone* eunucho,qui in cunctis per gratiã spiritus sancti ductus est,ac in *Sardibus* quiescit, visitationem e cœlis exspectans in qua resurget ex mortuis? Et paulo post,Erant enim septem cognati mei Episcopi,et ego octauus: & paulo post,sexaginta annos habeo in Domino,denique poteram autẽ & Episcoporum qui mecum sunt,facere mentionem,quos vos petiistis vt a me accerserentur,quos etiam accersiui,quorum nomina si scriberẽ,magnam multitudinem efficerent. Ex eo autem quod sexaginta annos natus erat *Policrates Ephesinus* cum hæc quæstio exagitaretur colligere possumus *Polycarpum* Angelum *Smyrnensis* ecclesiæ,eius vicinum fuisse martyrio coronatum cũ *Polycrates* esset prope quadragenarius. Nec dubium est quin eius familiaritate vsus sit, & in magno precio habuerit,cum eum inter magna luminaria recenseat. Et huiusmodi antiquorum authoritas a nouis authoribus nequaquam euelli potest,& nos multum debemus *Eusebio*,qui simul laboriose et fideliter antiquitates Christianorum vestigauit. Mihi certe charior est quam triginta *Jeronymi*, cuius sententia non potest non subijci authoritati eorum qui fuerunt in seculo puriori, & Apostolis propinquiori.

Quod ad locum quo D. *Paulus* ait *Timotheo*. Noli negligere gratiam quæ in te est,quæ data est tibi per Prophetiam et impositionem manuum Presbyterij 1.Tim. 4.14.eius explicatio facile inueniri potest,ac primum quæro quænã sit illa gratia quam *Timotheus* accepit per prophetiam et impositionem manuum presbyterij? Scilicet gratia fideliter docendi populum, & exponendi verbum Dei,hanc D.*Paulus* commendat Timotheo vt videlicet nunc cum ad Episcopatum peruenit,scilicet eminentiorem gradum,non ea negligat, quæ accepit cum gradum Presbyterij assequeretur. Et certe Episcopi prius sunt presbyteri,& cum ad Presbyterium promouentur, eis committitur prædicatio verbi Dei, eam non debent negligere cum ad Episcopi vocantur dignitatem.

Verumenimuero vt omnia erroris latibula detegantur, quia videmus aliquos ex eo in errorem induci quod cæcutiunt in nomine Episcopi et presbyteri,ignorantes plane vim vocabuli Episcopi. Vt magis ostendamus vanitatem propositi eorũ,hypotheseos gratia sumemus in sacris literis Episcopos fuisse vocatos tantum presbyteros,et ponemus nomen Episcopi fuisse ominino aut sepultum aut incognitum,quid ex eo consequetur? officium episcopale fuisse cum presbyteris confusum et non distinctum? Imo plane distinctum erat.

Et

Et hi qui contrarium asserunt, idem agunt ac si dicerent summi magistratus officium cum inferioribus in rebus ciuilibus esse confusum, quia vtrique vocantur iudices aut magistratus quam ineptum hoc esset quæso? Erat quoque *Aaron* Sacerdos sicut et alij, num ideo cum illo alij erant in eodem gradu constituti? Et eorum ineptia apparens est ex epistola ad *Titum*, vbi D. *Paulus Tito* dat authoritatē constituendi presbyteros in singulis vrbibus totius *Cretæ* insulæ et corrigēdi ea quæ desunt. Iam quæso num Presbyteri qui erant constituti in aliqua vrbium idem poterant in tota insula præstare quod *Titus*? Idem est ac si quis diceret magistratum alicuius vrbis *Cretensis* habuisse candē authoritatem quam habebat proconsul qui toti insulæ præerat. Et Dominus cum alloquitur septem Angelos septem Ecclesiarum eos nec Episcopos, nec presbyteros vocat, sed ecclesiarum Angelos, tamen ab vnoquoque illorum repetit rationem ecclesiarū suarum, et hæreseon quoq; quæ in suis ecclesijs suppullulabant, et ideo quamuis nomen episcoporum non exprimat, tamen episcōporum officium describit. *Polycrates* vero *Policarpi* contemporaneus, (qui *Polycarpus* erat vnus ex illis septem Angelis scilicet Angelus ecclesiæ *Smyrnensis*) *Polycarpum* testatur fuisse episcopum *Smyrnensem*, sanctum inquam Episcopum ad quem Christus glorificatus epistolam direxit. Et interim *Ieronymus* dicet episcopalem gradum magis ex consuetudine quam ex dominica institutione constare? Apage istas ineptias quæ huius temporis homines in errorem inducunt, et antiquissimis episcopis et martyribus detrahunt. Nam Apostoli qui innumeros constituerunt episcopos, non eos ordinassent nisi fuissent ex Domini et spiritus sancti institutione, nec discipuli Apostolorum hūc ordinem instituere voluissent, nisi Apostoli ipsi quoque constituissent, et ea in re consistit eorum corona gloriæ, quam neque *Ieronymus*, neque alius quispiam eis adimet. Et si episcoporum munus non fuisset a Domino constitutum saltem esset ab eo confirmatum septem epistolis ad septem Angelos septem ecclesiarum. At eos fuisse ex spiritus sancti ordinatione apparet ex *Act*.20. & Domini confirmatione, vt apparet ex hoc loco, quinetiam ex dominica institutione, qui Apostolos constituit episcopos, at ij quos D. *Paulus* alloquebatur *Act*. 20. erant a spiritu sancto constituti episcopi iuxta Domini institutionē. Vnus *Anacletus* ideo notandus est et ex aliorum numero excipiendus, quia cū Apostoli primatum vniuersalem non constituissent, vt ipse fateri cogitur, tamē præsumpsit suam sedem primam proferre præter institutionem Apostolicam, detorquens verba Domini ad propriam ambitionem. Si quis vero quærat cur septem episcopi septem ecclesiarum vocentur Angeli septem ecclesiarū in *Apocalyp*. respondebit *Malach*. 2.7. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quid dicet etiam *Ieronymus Irenæo* qui ipsum *Polycarpum* et vidit & audiuit, et ipse expressis verbis hæc de eo scribit quæ apud *Eusebium* citantur lib. 4. cap. 14. *Polycarpus* inquit, non solum ab Apostolis est institutus, & cum multis qui Christum viderunt conuersatus est, sed et ab Apostolis in *Asia Smyrnensis* episcopus est constitutus, quem et nos in prima nostra ætate vidimus. Etenim diu vixerat, et admodum senex erat, vitamque hanc tandem glorioso et illustrissimo martyrio egressus est. Cum ea perpetuo docuisset, quæ et ab Apostolis accepe-

rat, quæ ecclesia quoque tanquã sola vera tradit. Hæc *Irenæus* qui *Galliarũ* Primas erat scripsit, et ego nunquam patiar vt Romanus Presbyter *Ieronymus* antiquum & christianum Episcopum *Gallum* arguat, quem scio prudenter coarguisse Episcopum Romanum *Victorem*, et ideo si vixisset multo minus presbytero Romano cedere voluisset. Quod si *Irenei* testimonium non sufficiat, habes epistolam *Smyrnensis* ecclesiæ, *Euseb.* lib. 4. cap. 15. *Polycarpus* hic fuit Apostolicus & propheticus nostrorum temporum Doctor, catholicæ *Smyrnensis* ecclesiæ Episcopus.

CAP. VIII.

Primatum Romanæ Ecclesiæ nullo iure consistere posse, neque esse Papam possessorem bonæ fidei sed dolo tanquam furem occupare quæ possidet.



QVæritur num Episcopus vniuersalis possit sustineri in ecclesia Christiana? Respondeo iure non posse. Etenim sub lege Naturæ *Melchisedech* & *Iob* fuerunt quidem summi Sacerdotes, at non vniuersales. Et *Melchisedech*, cuius saderdotium proponitur tanquã perfectio Sacerdotij sub naturæ lege, nec vniuersalis rex fuit, nec vniuersalis Sacerdos, sed rex *Salem* & eiusdẽ summus sacerdos. *Aaronis* sacerdotium etiã probatur nõ fuisse vniuersale ex eo quod *Iethronis* sacerdotium non erat ei subiectum. Erat enim *Iethro* Sacerdos *Madianitarum*, qui ex *Madiano* filio *Abrahami* ex *Cethura* descenderat *Gen.* 25.2. et proinde erant circũcisi, & Deum verum eum coluisse tribus argumentis apparet. Primo ex eo quod pio *Mosi* hospitiũ præbuit, & filiã suam vxorẽ ei dedit. Secundo quod venit vt cum Israelitis Deo gratias ageret de eorum liberatione, & congauderet miraculis a Deo populo suo ostensis. Tertio ex eo quod ad illum sacrificantem *Aaron* cum senioribus *Israelis* venit, & eius sacrificio communicauit edens panem cum illo sacrificante. *Exod.* 18.

In nouo Testamento tantum abest vt statuatur Episcopus vniuersalis, quod contrarium plane docetur. Etenim erat *Titus* τῆς Κρητῶν ἐκκλησίας πρῶτος ἐπίσκοπος χειροτονηθείς vt est in hypographe epistolæ ad *Titum*, id est primus Episcopus *Manutensium Cretensium* ecclesiæ. Primas inquam *Cretensis*, cum enim primus dicitur, intelliguntur alij esse ordine sequentes, et ideo cum 35. canon Apostolorum dicit singularum gentium Episcopos nosse debere, quis inter eos primus sit, *Cretensium* Episcopi debebant nosse Titum inter illos primum esse. Et dat D. *Paulus* πᾶσαν ἐπιταγὴν id est omnem superordinationem, superioritatem, & superintendentiam, nullam ergo potest ei aliquis præcipere ὑποταγὴν id est subiectionẽ nisi ei cui D. *Paulus* erat subiectus, scilicet Christo. D. *Paulus* enim non erat subiectus Apostolis, cum minor non esset quam præstãtiores Apostoli, & ideo Apostoli ei & *Barnabæ* dederũt manus societatis, non subiectionis. Docet etiã D. *Pa.* *Corinthiorũ* ecclesiã, quæ erat *Metropolis Achaiæ*, nihil minus habere quã alias ecclesias, ergo minora priuilegia non habebat

quã

quã *Cretensis* ecclesia,& ipsa Romana. *Iacobus* etiã frater Domini episcopus Ierosolymitanus,in sua sede alijs omnibus præferebatur,ita vt ipse tanquam præsidens Synodi conclusionem ipsius protulerit,& cum de illo & *Petro* et *Ihoanne* mentio fit,dicitur *Iacobus* et *Petrus* & *Iohannes*,primam perpetuo ordinis seriẽ tenens,quia erat in sua sede. Ita *Aurelius Carthaginensis* in omnibus consilijs in *Aphrica* celebratis,quibus ipse præfuit, primus subscripsit concilio, etiam ante legatum Episcopi Romani.

Canones Apostolorũ quos aliqui noui authores volunt reijcere, at antiqui Doctores multis argumentis eos commendarunt,& celeberrima totius orbis concilia eos approbarunt.Ii vero vt iam diximus primates constituunt, non autem Episcopum vniuersalem. Primates inquam constituunt & commendant 35. cap. et volunt vt cuiuslibet gentis episcopi sciant quis inter eos primus sic,& eum quasi caput habeant,si ergo omnium gentium primates pro capitibus Episcoporum sunt habendi,nõ est ex eo iure vnus vniuersalis Primas pro capite omnium habendus. Nec potest aliquis vniuersalis Primas constitui,a quo reliqui pendeant,quin fiat iniuria reliquis primatibus,quibus diuus *Paulus* Tit.2.15. dedit πᾶσαν ἐπιταγὴν, & canones Apostolorum iuxta eandem doctrinam,volunt eos pro capitibus haberi,iam ipsi non sunt capita, si ab alio capite tanquam membra pendeant. Sed videant quæso quam et quantam sibi faciant iniuriam qui vniuersali Episcopo subijciuntur metropolitani. Apostoli eos vt primates constituunt et vt capita Episcoporum prouinciæ suæ,mẽbra tamen capitis Christi,ipsi desinunt esse capita vt ab alio capite pendeant, & fiant membra Antichristi.

Polycarpus fuit Angelus Ecclesiæ Smyrnensis,vir sanctissimus & egregius Apostolorum Discipulus, ad quem Christus post resurrectionem scribere dignatus est, nihil in eo reprehendens, imo nihil non laudans,quanto magis apud homines omni laude dignissimus Martyr est, Apoc. 2. Is tempore *Aniceti* Romam venit,& quùm *Anicetus* omnibus persuasionibus eum inducere vellet ad id vt Pascha die Dominico celebraret: ipse insistens traditioni Apostolicæ, noluit subijci aut opinioni, aut authoritati *Aniceti* Episcopi Romani, indicium est, eum non habuisse aliquam iurisdictionem super *Polycarpum*. Nam si Apostoli ei tradidissent ius super Episcopos aliarum prouinciarum *Polycarpus* noluisset se inobedientem præbere. At ex eo quod non paruit,apparet nullo iure eum fuisse Papæ deuinctum, excepto communi charitatis Christianæ vinculo,vt socio, non vt superiori.

Et quum Victor Episcopus Romanus instructus curru Luciferi, nubes (vt cum *Isaia* loquar c. 14.) conscendisset ad fulminandas Ecclesias Asiæ,fulmine excommunicationis suæ: eius brutum fulmen ab Asiaticis irrisum fuit, quinetiam & Victor magnam incurrit Europæorum Episcoporum reprehensionem vt Irenæi Primatis Gallarium & similium, vt testatur *Euseb.* lib. 5. c. 21. & sequentib. Qui reprehendebant Papã,planæ ostendebant se ei subiectos non esse. *Cyprianus* Carthaginensis multoties reprehendit Episcopos Romanos, & eos nunquam vt superiores agnouit, sicut nec eius posteri.

Tempore *Constantini* magni cum *Melciades* ex mandato *Constantini* de causa Cæciliani contra *Donatistas* iudicasset, & prouocatio ad Impetatorem facta esset

esset, Imperator causam denuo commendauit iudicandam Episcopo Arelatensi, quod non factum fuisset, si Arelatensis Episcopus dependisset à Romano. Huius rei historiam habes apud *Euseb.* lib. 10. & apud *Augustin. Tom. 7.* contra Epistolam *Petiliani* & alibi sæpius contra *Donatistas.*

Et ideo Concilium Nicenum antiquam consuetudinem cap. 6. exponens, præfert Alexandrinũ Episcopum Romano, & Romano parilem cum Alexandrino consuetudinem tribuit, ius inquam parile, & nullum speciale priuilegium aut præheminentiam tribuit Romano.

Et quum Romani Episcopi tempore Aurelij Carthaginensis Episcopi, vellent detorquere decreta Nicena ad suam ambitionem: Aphricani rogarunt Episcopum Romanum vt suas cum ipsorum litteris mitteret *Constantinopolim*, & *Alexandriam* ad recuperanda autentica exemplaria Concilij Niceni, quæ cum venissent, apparuit Concilium Nicenum nullum priuilegium Romano concedere, nisi commune priuilegium parile Alexandrini Episcopi priuilegio, quod vt clarius appareat, inferius subiecimus acta Aphricanorum, quibus hoc manifeste ostenditur.

Quod ad Concilium *Sardicense* attinet Aphricani illud refutarunt, ex Actis Concilij Niceni, quandoquidem ex Concilio Niceno recusarunt ea præstare quæ Concilium *Sardicense* præcipiebat, & *Sardicense* Concilium nihil aliud fuit quam Conciliabulum in quo congregati sunt Episcopi sexaginta tam Occidentales quam Orientales, & quum Orientales discessissent, remanserunt tantummodo viginti, vt Sulpitius testatur in præfatione eiusdem Concilij in primo volumine Conciliorum.

In summa Romani nullum aliud ius habent, quam quod eis à Constantino magno traditum fuit, non quidem per Donationem illam suppositam & plane fabulosam & Concilium Romanum sub Syluestro Papa, quod etiam inuenitur innumeris mendacijs refertum, sed per Testamentum *Constantini* magni, quod apparet ex *Sozomeno* Lib. 2. c. 32. his verbis. *Romæ vero antiquæ, & Constantinopoli priuilegia quædam præ cæteris eximia reliquit.* Hoc vnum est quod possunt ostendere pro titulo iactantiæ suæ. Hæc vero priuilegia exposita fuerunt in Concilio Constantinopolitano primo, vbi Episcopo Constantinopolitano prima sedes post Romanum tribuitur, quia Constantinopolis est noua Roma, ex priuilegio à Constantino magno ei tradito. Et ea ratione, cum Constantinopolitanus secundo loco poneretur, Romanus primam sedem obtinebat, & ita euertebatur ordo quatuor Patriarcharũ in concilio Niceno seruatus, vbi *Alexandrinus* primus nominabatur. Hic vero Romanus ex voluntate Constantini primus omnium fuit, inter patriarchas, Constantinopolitanus vero secundus. Et hoc decretum fuit postea confirmatum in Concilio Chalcedonensi. Ego certe bona fide quæsiui apud antiquos historicos, & in Concilijs antiquis, num aliquod ius insuper Romano Episcopo competeret, & nihil aliud potui inuenire, nisi quod cum *Iohannes* Constantinopolitanus sedem suam secundam primæ Romanæ anteferre ambiret, fretus fauore *Mauricij*, *Phocas* restituit Romano primatum vniuersalem quem *Iohannes* ille Constantinopolitanus occupare supra Romanum præsumpserat, & quædam specialia priuilegia ab Imperatoribus concessa quæ Ecclesiam nequaquam

quaquam obligare possunt. Et scio alios quoque solidi aliquid producere non posse. At quod ad hoc decretum attinet, nihil aliud Papæ tribuit, quam nudam πρεσβείαν. Et huius rei causam exponit Concilium Chalcedonense, quia est sedes Imperatoris, sicut etiam eadem ratione Constantinopolitana Ecclesia secundum locum obtinuit, quia erat noua Roma id est noua sedes Imperatoris Orientis. Non enim quia *Petrus* aut *Paulus* hic aut illic fuerint, sed quia erant sedes Imperiales. Et nunc cessante causa cesset & effectus, Roma non amplius est sedes Imperatoris sed Antichr. & Praga nūc est sedes Imperatoris, eius igitur Episcopus deberet hoc ius possidere. Et romanus qui ambitione voluit esse primus erit omniū nouissimus: erat Roma prima quia erat sedes Imperatoris, erit omnium nouissima, quia fuit sedes Antichristi, & ita complebitur verbum Domini, qui voluerit primus esse inter vos, sit omnium seruus. *Marc.* 10. 44. Et certe hoc iam verum fuit. Nam is qui voluit esse omnium primus pro hæreditate sua obtinuit maledictionem Chanaan, vt fieret seruorum seruus. Genes. 9. 25.

Sumunt tamen Pontifices Romani prætextum sui primatus ex sententia *Anacleti*, dicentis, Ecclesiam Romanam primatum non obtinuisse ab Apostolis, sed ab ipso Domino dicente, Tu es *Petrus*, & super hanc *Petram* ædificabo Ecclesiam meam, & dabo tibi claues regni cœlorum, & quod ligabis in terra erit ligatum in cœlo, & quod solues in terra, erit solutum in cœlo.

At non vident *Anacletum* suo se iugulare gladio, cum enim dicit primatum non fuisse ab Apostolis traditum, manifestè ostendit, primatum Romanis non deberi. Nam supponamus primatum *Petro* Apostolo datum fuisse, & *Petrum* fuisse vt fuit longo tempore Ierosolymis, vbi reliquit Episcopum Domini fratrem *Iacobum*, & fuit etiam Antiochiæ vbi *Euodius* fuit Episcopus. Iam quænam est ratio vt dictum illud Domini, Tu es *Petrus*, & super hanc *Petram* ædificabo Ecclesiam meam, potius Romano quàm Ierosolymitano dirigatur? Si primatus datus esset *Petro*, & *Petrus* primatum Romano dedisset, tunc aliqua esset ratio, at *Anacletus* ipse fatetur ab Apostolis non habere primatum, ergo non magis Romanus quam Ierosolymitanus potest sibi primatum arripere.

Nullum ius possunt sibi Romani vendicare, nisi hæc duo probent, vnum quod *Petrus* fuerit maior inter Apostolos, secundum, quod *Petrus* ei tradiderit primatum suum. At ex dicto *Analecti* apparet *Petrum* non tradidisse primatum Romanæ Ecclesiæ; nam *Petrus* erat Apostolus, & *Analectus* fatetur Romanam Ecclesiam ab Apostolis primatum non obtinuisse. Quare quamuis probarent *Petrum* esse maiorem inter Apostolos, tamen non sequeretur Romanam Ecclesiam habere primatum, et multo minus si ostendatur quod *Petrus* non fuerit maior.

Si vero dicat ideo *Petrum* maiorem esse quia primus inter Apostolos nominatus fuit, ostendetur ratio illa debilis, quoniam primus nominatur, non quia maior sit, sed quia primus vocatus est, qua in re ij qui in volumine primo Conciliorum tractatum de primatu Romanæ Ecclesiæ ediderunt, in eo falluntur, quod dicunt *Petrum* primum recenseri, etiamsi vocatione primus non sit, nam ipse vocatione primus fuit, & ideo prior recensetur secundum ordinem

ordinem vocationis, *Math.* 4. 18. *Marc.* 1. 16. *Luc.* 5. 2. At D. *Iacobus* etiamsi vocatione posterior esset, tamen ab eo tempore quo fuit Episcopus Ierosolomytanus, prior recensetur. Et ideo ratio illa euertitur quæ maiorem illum censet, ex eo quod ordine prior recensetur.

Quod autem dicit, Tu es *Petrus*, & super hanc *Petram* ædificabo Ecclesiam meam, non soli *Petro* dicitur, quoniam D. *Petrus* non est solus fundamentum Ecclesiæ, sed & reliqui Apostoli, quinetiam & Prophetæ, Ecclesia enim est fundata super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, *Ephes.* 2. 20. Et noua Ierusalem de cœlo descendens habet duodecim fundamenta, quæ sunt duodecim *Petræ* seu lapides preciosi in quibus scripta sunt nomina duodecim Apostolorum Agni, ergo vna *Petra* est *Petrus*, & reliquæ vndecim Petræ sunt vndecim Apostoli. Ita vt ea in re *Petro* sint æquales. Iactant etiam Pontifices Romani claues regni cœlorum quæ sunt potestas soluendi & ligandi, & remittendi aut retinendi peccata. Habuerunt reliqui Apostoli potestatem soluendi & ligandi *Math.* 18. 18. & remittendi retinendique peccata *Io.* 20. 23. Quinetiam & Pharisæi habuerunt claues regni cœlorum ea ratione qua Papa eas habet, claudebant enim regnum cœlorum, ita vt neque ipsi ingrederentur, nec alios ingredi paterentur. *Math.* 23. 13.

Audiamus etiam super hac re *Cyprianum* in Libro de simplicitate prælatorum. Loquitur Dominus ad *Petrum*. Ego tibi dico, inquit, quia tu es *Petrus*, & super istam *Petram* ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata in cœlis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta in cœlis. Et eidem post resurrectionem suam, dicit, Pasce oues meas. Et quanuis Apostolis suis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit *Petrus*, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur vt Ecclesia vna monstretur.

Insuper sume verba illa, Tu es *Petrus*, & dabo tibi claues regni cœlorum, & quæ ligabis, &c. quibus adijce quæcunque coaceruare poteris ex toto Euangelio, quæ dicta fuerunt *Petro*. Tamen non potes ex illis maiorem *Petrum* proferre. Etenim aut hoc ex verbis colligis, aut ex verborum mente & Domini intentione. Ex verbis tale quid non potes colligere cum ea quæ data fuerunt *Petro* data sint alijs quoque Apostolis, sicut etiam duodecim Apostolis sunt parati duodecim throni ad iudicandas duodecim tribus Israelis, ita vt non magis promissio fiat *Petro* quàm reliquis. Ex literali sensu non potes maioritatem deducere, & quanuis deduceres nihil ageres, nam litera occidit, spiritus vero viuificat. Quod si ad spiritualem sensum recurras, cum spiritus sit mens Christi rectam quidem viam huius negotij decidendi sumis at ea ratione nihil tale inuenies. Nam si Domini mens & intentio fuisset *Petrum* proferendi maiorem, hoc manifestasset, aut quum vxor *Zebedæi* vellet filios suos præferre, aut quùm Apostoli quærebant, quis maior. Et certe si hoc exponendum fuisset,

fuisset, vel tunc exponendum erat cum Dominus suam vltimam voluntatem constitueret, post celebrationem sanctæ Cœnæ. Nam tunc, quod quidem mirum erat Apostoli inter se sæpius volutum reuoluebant idem saxum, petentes quis maior, *Luc.* 22. 23. Tamen Dominus noluit aliquem ex illis proferre maiorem. Nonne hoc indicium certissimum est, nullum maiorem a Domino voluisse decerni? Et quum Dominus nullum protulerit, quis potest proferre aliquem maiorem, nisi is qui se extollit supra omne quod vocatur Deus aut quod colitur, videlicet filius perditionis? Præterea si *Petrus* erat maior D. *Johanne*, qui fiebat vt D. *Iohannes* esset Domino propinquior in solemnitate coenæ Dominicæ? Ita vt *Petrus* non posset à Domino percontari quis futurus esset proditor, sed nutu rogaret *Iohannem* vt hoc à Domino quæreret?

Et quanuis *Iohanne* maior *Petrus* fuisset, tamen illa vt ita dicam maioritas poterat esse personalis, & quum plures haberet Ecclesias quas instituerat, nulla ex illis poterat primatum arripere, nisi ex ipsius aut reliquorum Apostolorum ordinatione. At *Anacletus* fatetur Ecclesiam Romanam ab Apostolis primatum non habere, sed a Christo dicente, Tu es *Petrus*, & super hanc *Petram*, &c. Ergo ab Apostolis non habet primatum, quod etiam à Christo non habeat superius abunde demonstratum est. Cum sæpius dissidentibus Apostolis quærentibus quis maior, nunquam voluit aliquem maiorem proferre. Non ergo Dominus maioritatem dedit *Petro*, nec si dedisset, sequeretur dedisse Romano, quoniam priuilegium poterat esse personale, ita vt hoc requireret etiam vt Apostoli expresso decreto romanum successorem proferrent. At quum neque Dominus neque Apostoli primatum Romano dederint, facile est videre quam verum sit quod dixit Apostolus ille qui ad pectus Domini recumbebat in conuiuio Coenæ Dominicæ, quod Draco dedit potestatem Bestiæ.

Anacletus hanc sententiam verissimam protulit, quod Apostoli non dederunt primatum Romano Episcopo. At omnem *ἐπιταγὴν* Primati Cretensi dederunt, in Epist. ad *Titum*, & in canonibus suis præceperunt, vt Primates quasi capita haberentur Apost. can. 35. At hoc etiam liquet ex electione *Iacobi* fratris Domini quæ exponitur in Historia *Eusebij*. Ecclesiast. hist. lib. 2. c. 1. vbi *Clementis* verba citantur, ex sexto Hypotyposeon Libro. *Petrus* enim inquit, & *Iacobus* & *Iohannes* post assumptionem seruatoris, quanuis ab ipso quoque Domino alijs essent prælati, gloriam tamen hanc sibijpsis non vendicarunt, sed *Iacobum* Iustum Hierosolymorum Episcopum constituerunt. Atque iterum *Clemens* septimo Hypotyposeon libro hæc narrat. *Iacobo*, inquit, iusto & *Johanni* & *Petro* post resurrectionem suam Dominus scientiam tribuit, illi vero reliquis Apostolis tradiderunt. Apostoli postea septuaginta Discipulis, è quorum numero erat *Barnabas*. Et *Egesipus* ad cuius vsque tempora D. *Iacobus* vixit, hæc scripsit quæ *Euseb.* citat eodem l. 2. c. 23. Ecclesiam gubernandã post Apostolos suscepit *Iacobus* frater Domini Iustus ab omnibus a temporibus Domini ad nos vsque dictus. Vbi erat igitur *Clementis* primatus si *Iacobus* frater Domini post Apostolos Ecclesiam gubernandam susceperit? Cui etiam successit *Cleophas* alius frater Domini qui vixit vsque ad annum centesimum & decimum à Christi natiuitate. Tantum abest vt Romano illud ius post Apostolos

postolos translatum sit, quod potius *Iacobo* gubernatio Ecclesiæ fuit tradita. Neque *Egesippus* loquitur de Ecclesia Ierosolomytana, sed de Ecclesia generaliter, verum hoc de Ierosolomytano intelligi potest, & esto, ex eo non consequitur, ius fuisse Ierosolymis Romam translatum. Nam Christus Ierusalem elegit, illam sedem Christus consecrauit, & post Apostolos *Iacobus* frater Domini illius sedis Episcopus Ecclesiam gubernauit. Si qua igitur ciuitas primatum habere deberet, ea esset Ierusalem, non ea quam D. *Petrus* ipse Babylonem tropice vocauit, scilicet Roma, vt *Eusebius* testatur lib. 2. c. 15. Sic etiam & D. *Johannes* vocat tropice Babylonem ciuitatem quæ habet regnum super Reges terræ. Sic *Ouidius* dixit, Roma superati, dum caput orbis erit. Vide num *Eusebium* sumes pro homine ignaro, qui hæc mysteria Prophetica intellexerit. Non dubites quin multi essent in Concilio Niceno, qui hæc subolfaciebant, & ideo parum fauebant Romano Antistiti Christi, seu vt breuius loquar ei qui tandem factus est Antichristus Romanus.

Cæterum hic quæsiuimus omnia iura generalia quæ Episcopo Romano competunt, & quæ videntur generaliter Ecclesiam obligare, non enim hic disserimus quaslibet speciales quæstiones vt num Imperator aut Papa debeant Concilium generale mandare aut cogere, aut specialia iura in hac aut illa regione. Nam sublato generali iure alia iura specialia Papæ decidunt, vt sublata causa tollitur effectus. Sic dicitur *Hercules* Hydram expugnasse, quæ septiceps erat sicut bestia hæc in Apocalypsi septiceps describitur, & sublato vno capite, septem alia nascebantur, quo perspecto *Hercules* truncum abscidit, & tunc omnia capita simul interierunt. Ita & nos videmus frustra de specialibus capitibus huius Hydræ quæ sunt eius specialia iura disputari. Truncum esse abscindendum, id est fundamentale ius quo nititur, esse ostendendum & demonstrandum, falsum, inualidum, vanum, ineptum, insulsum, illegitimum, iniustum, impium, contra ius legis Naturæ, & *Mosis* & Christi, & contra consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ vsque ad Concilium Nicenum, & contra inuiolabilia decreta Nicena, & ita sublato illo iure generali & fundamentali, alia simul concident. Ex quo apparet eum dolo tanquam furem suum primatum occupare absque vllo iusto titulo quo possit possessor bonæ fidei censeri, ita vt quolibet tempore quibuslibet liceat sua resumere.

Ex ijs & similibus luce clarius apparet Papam authoritatem suam non habere ex iure Diuino, neque legis Naturæ, neque legis *Mosaicæ*, neque Euangelico iure aut institutione Christi aut Apostolorum, aut prisca consuetudine Ecclesiæ antiquæ, aut decretis canonum Apostolorum, aut Nicenorum, nudam tamen habuit *speciem* à Constantino Magno vt testatur *Sozomenus* l. 2. c. 31. quod fuit postea expositũ Concil. Constantinop. 1. & Chalcedonensi. Quod tamen Romani Episcopi arripuerunt ad statuendam authoritatem suam Antichristianam, hoc est, quod *Leo* Papa in suis Epistolis adducit in argumentum *Theodosio*, vt eum adducat ad id vt priuilegia Romanæ Ecclesiæ sustineat & magis illustret, in 1. volumin. Concil. Et ex eo apparet fatale fuisse vt *Constantinus* daret potestatem Bestiæ, quam statim *Iulius* exercuit. Nam etiam *Constantinus* magnus ferebat arma Draconis in insignijs suis quæ ornabat cum insigni Crucis rubræ cuius visionem habuerat, vt testatur Epitome *Eusebij* à

Rufino

Rufino edita, Lib. 9. c. 6. Ita vt ipse sit Draco qui dedit potestatem Bestiæ, & typus Draconis serpẽtis antiqui, qui Bestiæ potestatem dedit, Apoc. 13. 2. Hæc est Bestia septiceps & habens decem cornua, in qua *Daniel* vidit cornu paruum quod oriebatur de medio decem cornuum, & in eo cornu erant oculi sicut oculi hominis, & os loquens ingentia. *Dan.* 7. 8. Et quum per Bestiam & eius cornua intelligatur regnum, per cornu habens oculos sicut oculos hominis intelligitur regnum vigilum, id est Episcopale regnum Papæ cum Imperio Romano coniunctum. Ita et *Esdras* quem nos possumus citare sicut Christus cum sæpius citauit in Euangelio vt

4. *Esdr. cap.*
- 1. 29. *Math.* 23. 35.
- 2, 25. *Ihon.* 17. 12. & 18. 9.
- 2. 42. *Apoc.* 7. 9.
- 7. 48. *Rom.* 5. 2.
- 8. 41. *Math.* 13. 4.
- 9. 15. *Marc.* 10. 6.
- 13. 31. *Math.* 24. 7.

Quinetiam et aduentus Christi intra quadraginta annos futurum prædicit, & nominaut Iesum & Christum, et de Aquila bicipiti, et ædificatione nouæ Ierusalem nomine Sionis prophetauit, et nullam nisi puram doctrinam docuit, et consonam alijs prophetis etiamsi ab aliquibus perperam quidem reprehendi videatur, qui in melioribus rebus possunt occupari. *Esdras* inquam describens regnum *Aquilæ* bicipitis quæ est imperium Romanum, prophetiæ *Esd.*
cap. 11. ita loquitur, et vidi et ecce surrexit Aquila super vngues suos, & misit 8
vocem pennis suis dicens. Nolite omnes simul vigilare, sed dormite vnusquis- 5
que in loco suo, et per tempus vigilate, ergo sunt in Aquila pennæ quæ sunt 80
vigiles, id est Epicopi, et in medio ipsius est regnum episcopale Papæ. Ex ijs 10
facile intelligo quomodo Draco id est Imperator gestans insignia Draconis, 200
suggerente Dracone serpente antiquo dederit potestatem suam et sedem su- 20
am id est ciuitatem Imperialem Bestiæ, id est Episcopo Regi, videlicet Papæ 70
qui cum Episcopum se esse profiteatur, tamen regnare præsumpsit. Hoc cum 80
videam, quæro num cũ reipsa conueniat nomẽ bestiæ in *Apocalypsi* per nume- 8
rum *666*. occultatum, & inuenio conuenire, est enim nomen hoc [illegible] 80
[illegible] id est Episcopatus Papisticus. Per quod nomen designatus fuit Episco- 1
pus Romanus et Constantinopolitanus, quos *Constantinus* magnus præ cæte- 80
ris præferebat, tribuens Romano primatum ante omnes, Constantinopoli- 10
tano vero Episcopo primatum post Romanum. Ita bestia habuit duo cornua 6
similia agno, at loquebatur sicut Draco. 8

666

Alij varia quæsiuerunt nomina vt hoc antiquissimum quidem *Origenis* [illegible]. At hoc designat cœtum hominum, non autem hominem, et numerus nominis bestiæ est numerus nominis hominis, non numerus nominis cœtus. Quinetiam scribendum fuit Ἰταλικὰ non Ἰταλικοί. Et *Irenæus* recte monuit, si hoc nomen debuisset tam cito innotescere, D *Iohannes* non per numeros designasset, sed expressisset. Alij vt *Irenæus* producunt [illegible] & [illegible] at il-

la sunt nimis remota & a te descripta per prophetas aliena. D. *Genebrardus* Parisiensis in nomine *Mahumethi* numerum inuenit sumpto nomine *μαομετισ* formâ Thetis Thetidos. At nemo præter illum ita scripsit nomen *Mahumethi* quare nimis longe petitum est. Dominus *Plessiacus Mornæus* vir nobilitate & doctrina clarissimus hoc interdum Hebraice quæsiuit רומיית Id est Romanus, verum id nimis generale est, & in lingua quæsitum, in qua Apocalypsis non fuit conscripta, sic & alij Latine, alij Italice venantur nomẽ bestiæ & frustra conantur in peregrina lingua expiscari. Nam is qui totam Apocalypsim Græce conscripsit, & numeris græcis expressit, Græce quærendum nomen intellexit, potes ita locum Apocalypseωs complere, *καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἱταλικὸν παντὸς*, tunc Græcum nomen eum Græco contextu cohærebit. Ita enim Græco idiomati insistebat author Apocalypseωs, vt Hebraicum nomen Abaddon, græcis characteribus scriberet. Ego quoque possem aliud nomen producere a meipso interdum inuentum, *ἱερατεία κακή*. At non omnia nomina quæ conueniunt numeris conueniunt etiam bestiæ.

Alij ex ijs numeris voluerunt tempus initij regni bestiæ expiscari, falluntur vero, eo quod quærunt numerum temporis, pro numero nominis. Non enim scriptum est esse numerum temporis, sed nominis. Et si concederetur esse numerum temporis, ex qua analogia sumerent dies & horas aut menses aut annos designari? verum id ex seipsis satis libere assumunt, at hoc non est exponere sed deuinare? Et adhuc si esset numerus temporis, quis sciret num esset numerus initij aut durationis aut finis? Non debent sub prætextu explicationis ita libere spaciari. Probent non esse numerum nominis sed temporis & ad reliqua se accingant.

CAP. IX.

Æqualitatem Pastorum, nullo iure constare.



QVi æqualitatem iactant, non æquitatem prædicant, nullus musicus esset concentus si omnes voces in eodẽ tono consisterent. Ait *Euclides* in suo harmonico, si nullus esset motus nullus esset concentus, & nulla harmonia, certe nisi gradus varij essent, quibus vox ascenderet & descenderet, nulla esset melodia, tota enim musices excellentia in varietate vocum consistit. Et si in Arithmetica omnes numeri essent æquales vbinam esset diuersitatis scientia, & in Geometria, si omnes lineæ æquales essent & omnes superficies æquales & omnia corpora æqualia, vbinam posset ratio & proportio demonstrari? Logos quoque & analogia exerceri? Necesse enim est vt quædam sint æqualia, quædam inæqualia, quædam similia, quædam dissimilia, quædam consona, quædam dissona, quædam concurrentia quædam parallela, quædã congruentia, quædã discrepantia, quædam cohærentia, quædam opposita. Deus est omnium causa prima, illa operatur per secundas, & alias eis subordinatas, quæ quãuis a superiori-

riori ad infimam descendant, tamen sibi inuicem non obstant, quia subordinata non pugnant. At inter pares inuidia & æqualitas parit dissidia, nisi a superiore æquales coerceantur. Si quis vero hæc adæquare vellet, quæ Deus inæqualia reliquit, inepte ageret. Idem agunt qui Pastores in ecclesia Dei adæquare conantur, qui quidem hac in re sola sunt æquales, quod æqualiter prædicare possunt verbum Dei et sacramenta administrare, et hæc est æqualitas de qua loquitur 30. Artic. confessionis eccles. Gallicarum. Nam si charismata spectes aut gradus, authoritatem, iurisdictionem, & dignitatem, non potest in eis constitui æqualitas. Si enim charismata sumas inuenies Dominum dedisse famulis suis, vni quidem talentum vnum, alteri duo, tertio quinque, non ergo eos adæquababat. Sic D. *Iohannes* Baptista, maior erat propheta, at minimus in regno cœlorum, erat maior illo. Apostolis sunt parati duodecim throni ad iudicandas duodecim tribus Israelis, & ipsi erant Pastores, num æquales throni reliquis Pastoribus sunt destinati? sunt duodecim Apostoli positi pro fundamento nouæ Ierusalem, num omnes pastores hac in re eis adæquantur? Apostoli quoad gradum, erant inter se æquales, quoniam cum quærerent quis maior, Christus nullum ex eis maiorem constituit. Habuit Christus quoque septuaginta Discipulos, quos ad prædicandum misit *Luc.* 10. Et ij erant inter se æquales quoad gradum. Age igitur septuaginta Discipuli inter se erant æquales, & duodecim Apostoli itidem inter se æquales, num ex eo sequitur septuaginta discipulos esse duodecim Apostolis æquales? Idem est ac si diceres, sesquipedalis linea sesquipedali lineæ est æqualis, & bipedalis linea similiter bipedali est æqualis, ergo sesquipedalis linea est bipedali æqualis, quis tam crassus est qui paralogismum non deprehenderet? Quærentibus Apostolis quis maior, Christus nullum voluit proferre maiorem, at septuaginta nunquam dubitarunt quin Apostoli maiores essent, neque Apostoli quæsiuerunt num maiores essent reliquis, sed quis inter se maior esset. In actis Apostolicis congregati fuerunt Apostoli & Presbyteri in concilio Ierosolymitano, Apostolos vero fuisse Pastores luce clarius est; Presbyteri quoque pastores erant, vsque ad tempus *Arrij* quo in Ægypto presbyter cœpit non prædicare vt testatur *Socrates* lib. 5. cap. 21. Itaque Pastores, Apostoli & Pastores presbyteri erant in Concilio Ierosolymitano congregati, quis autem vnquam somniauit presbyteros fuisse Apostolis æquales? Erãt autem Apostoli Episcopi *Act.* 1. 20. D. *Jacobus* frater Domini inter Apostolos recensetur etiamsi non esset de numero duodecim Apostolorum. Nam Christus habebat duodecim Apostolos cum nondum eius fratres crederent in illum, erant autem quatuor qui cognominabantur fratres Domini quia erant filij sororis virginis *Mariæ*, quorum vnus erat *Iacobus*, & ideo *Dorotheus* merito connumerat fratres Domini inter septuaginta Discipulos, non inter duodecim Apostolos. *Jacobus* vero frater Domini vt docet *Euseb.* fuit ordinatus Episcopus Ierosolymitanus, & quia Apostoli erant Episcopi, *Act.* 1. 20. ideo hunc inter Apostolos connumerat D. *Paul. Gal.* 2. non quod esset de numero duodecim Apostolorum, sed ratione Episcopatus sui. D. *Paulus* vero Ierosolyma accedens *Act.* 21. solum Apostolum inuenit *Jacobum* ad quem omnes presbyteri congregati fuerunt, quæso num illi Presbyteri omnes erant D. *Ia-*

cabo Episcopo suo æquales? et cum D. *Iacobus* defunctus esset, & eius loco Apostoli qui tunc erant superstites ordinassent Episcopum *Simonem Cleopham* vt testatur *Euseb.* lib. 3. cap. 11. lib. 4. cap. 21. Num eius Presbyteri erant ipsi æquales? Erat autem *Cleopha* vnus ex fratribus Domini cui Dominus apparuerat in via *Emaus*, *Luc.* 24. Ac in summa fuerunt Ierosolymis ex consanguineis Domini quindecim Episcopi quorum primus fuit *Iacobus* frater Domini: Secundus *Cleophas* alius ex fratribus Domini, & sic alij ex ordine vt constat ex histori *Euseb.* lib. 4. cap. 5. quæro sub quo illorum cœpit æqualitas pastorum? Venio ad *Titum* Episcopum *Cretensem*, cum reliquit D. *Paulus Cretæ* vt ea quæ deerant corrigeret & constitueret Presbyteros in singulis oppidis, quæro nũ Presbyter ordinatus ab illo, in vno oppidorum (quæ magno numero erant in tam magna insula quæ ab ipso *Homeri* tempore ἑκατόμπολις nuncupabatur,) erat æqualis *Tito* qui in tota insula ordinabat, & in singulis oppidis? Idem est ac si quis adæquaret specialem thesaurarium generali thesaurario. Specialem alicuius oppidi notarium aut secretarium magno Cancellario aut Secretario, & cuiuscunque oppiduli Iudicem, magno iusticiario, quod esset ineptissimum. Scripsit Dominus Iesus Christus post resurrectionem suam, septem epistolas ad septem Angelos septem ecclesiarum, qui sunt septem Sacerdotes, Sacerdotes enim sunt Angeli Domini *Malach.* 2. 7. Horum vnus erat *Gaius* Episcopus *Ephesi* succedens *Timotheo*, alius fuit *Polycarpus* Episcopus *Smyrnensis*, & similes in reliquis quinque ecclesiis, quæso nũ Presbyteri ecclesiarum fuerunt illis Episcopis æquales? Nonne *Gaius* succedebat *Timotheo*, ad quem D. *Paulus* scribebat, ne admittas accusationem contra Presbyterum, nisi sub duobus aut tribus testibus? Indicans eum sub duobus aut tribus testibus posse admittere accusationem contra presbyterum, ad illum ergo pertinebat ius de presbytero iudicandi. Num presbyter idem poterat? Certe non. Non ergo erant æquales. Num etiam *Polycarpo* æquales erant presbyteri *Smyrnenses*? & ipse fuit ab Apostolis constitutus Episcopus *Smyrnensis Euseb.* lib. 4. cap. 11. fuit diuus *Marcus* Episcopus *Alexandrinus* & Euangelium prædicauit ab *Alexandria* per Ægyptũ & vicinam *Libyæ* regionem vsque ad *Thebaos Doroth.* Synopsis nec dubium est quin oppidatim constituerit presbyteros sicut *Titus* in *Creta*, num illi presbyteri erant *Marco* æquales, aut *Agnano* aut alijs eius successoribus? Nequaquã. Imo *Ieronymus* quem adæquatores pastorum assumunt pro patrono sententiæ suæ in epistola ad *Euagrium* fatetur a *Marco* ad *Heraclam* vsque & *Dionysium* Episcopos, presbyteros, Ægypti nominasse Episcopum, quem in celsiori gradu statuebant. Si ergo in celsiori gradu, non erat in æquali gradu, cur ergo *Jeronymum* assumunt vt fautorem æqualitatis pastorum, cum ipse inæqualitatem doceat? In summa tam ineptum est æqualitatis delyrium, vt iam pudeat authores suos tale quid somniasse, & ab ea declinent, et eam si quis suis authoribus tribuere vellet ipsi plane negarent & exclamarent conquerentes sibi iniuriam fieri. Atque vtinam tandem proprio periculo cauti essent, & suos paralogismos persuadere desinerent, & veritatem dicentibus acquiescerent. Facile enim esset preterita condonare & futura in melius dirigere.

Cyprianus quoque lib. 3. Epistolarum Epist. 14. ita loquitur Aliqui de presbyteris nec euangelij, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini iudicum

dicium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod nunquam sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu præpositi, totum sibi vendicant. *Cyprianus* hæc scribebat tempore *Irenæi* qui *Polycarpum* discipulum Apostolorum viderat. Nec dubitat dicere nunquam sub antecessoribus factum fuisse ut presbyteri sibi assumerent ea quæ ad Epicopum sibi præpositum pertinebant, & plane docet Episcopum esse presbyteris præpositum, ergo non sunt æquales ex eius sententia. Hæc proferebat *Cyprianus* paulo post tempus *Polycarpi*, nunquam apud antecessores factum, fortasse noui authores melius norunt ea quæ ante *Cyprianum* sub Apostolis fiebant, quam ipse *Cyprianus* author antiquissimus.

Est etiam hæc æqualitas contra rationem naturalem iuris gentium, quam exposuit *Iethro* Exod. 18. & quam omnes gentes vt optimam comprobarunt, præferentes monarchicum statum Polyarchiæ, & quamuis aliqui Aristocratia regantur, & alij democraticum statum sequuti sint, nulla tamen gens fuit vnquam visa aut audita, aut cognita, quæ æqualitatem magistratuum in republica constituerit, sed potius distinctiones graduum, vt ij qui benemeriti erant de republica, pro ratione meritorum suorum erga rempublicam, honoris & dignitatis gradu decorarentur, nisi forte quispiam sententiam *Solonis* explosam ad hunc finem detorqueat. Inter Angelos sunt quoque Archangeli vt apparet ex Epistola *Iudæ*, vbi inducitur *Michael* Archangelus, & ne quis dicat eum esse *Michaelem* Archangelum, de quo loquitur Apocalypsis, nos dicimus eum non posse, etiamsi eodem nomine vocetur. Nam sicut *Iosue*, in nouo Testamento Heb. 4. 8. vocatur Ἰησοῦς vt Saluator Christus, & tamen non est ipse saluator, sed saluator assumit eius nomen, sic et *Michael* Archangelus de quo loquitur Apocalypsis, & qui est Christus, non est ille *Michael* de quo loquitur *Iuda* Apostolus, sed sumit eius nomen. Ambo Archangeli vocantur. Sic etiam *Melchisedech*, & *Aaron* & Christus vocantur ἀρχιερεῖς summi sacerdotes. Et vt appaeet *Michaelem* Archangelum de quo *Iuda* loquitur, non posse esse Christum, ex eo constat, quod non ausus est proferre sententiam maledictionis contra Satanam, sed dixit Dominus te arguat, quo tempore logos nondum secundum tempus erat incarnatus, sed erat Deus apud Deum, & proinde nihil poterat non audere.

Inter stellas quoque aliæ alijs præferuntur in gloria, teste D. *Paulo* 1. Corint. 15. Necnon & apes & grues habent regem, vt tam bruta sit hæc æqualitatis sententia, vt eius inscitiam bruta animantia coarguant. At vt dicit *Salomo* Locustæ gregatim incedentes carent rege, & tales sunt qui Pastorum æqualitatem statuere conantur.

Et D. *Caluinus* institut. Lib. 4. c. 4. asserit Episcopos ideo in Ecclesiam inductos esse ne ex æqualitate dissidia nascerentur, & quod humano concessu Episcopi sint inducti, primum verum esse fatemur, secundum à nobis non ei conceditur, quandoquidem D. *Paul. Act.* 20. 28. ait Spiritum sanctum constituisse Episcopos. Sic D. *Beza* dicit se non tollere graduum inæqualitatem, nec in eodem gradu προστασίαν, in opere contra Doctorem *Saraviam*. Itaque consistunt Episcopi in maiori gradu quam Presbyteri, ex eorum concessione, cui tamen non astringimur. Attamen sicut ipsi exponunt, sic & nos possumus

exponere

exponere 30. articulum Confessionis Ecclesiarum Gallicarum. Nemo enim existimare debet me velle impugnare Ecclesiarum Galliæ confessionem, at cum D. *Caluinus* & D. *Beza* eam exponant, sic & nos eadem ratione possumus exponere, & præstat exponere quam expugnare.

In re oeconomica *Abrahami* famuli non fuerunt æquales, sed *Eliezer Damascenus* alijs præficiebatur.

In re militari, nullus potest duci exercitus in quo capitanei & duces exercitus sint omnes inter se æquales, quare inæqualitatis sententia omnibus rationibus est bruta & plane ἄλογος.

CAP. X.

De Iudicijs Ecclesiasticis & ciuilibus antiqui populi Israelitici & Christiani.



Pud Israelitas olim duplex fuit Senatus, ciuilis & Ecclesiasticus, senatus ciuilis seu ciuilis Magistratus constabat senioribus qui erant e duodecim tribubus Israelis, dicente *Mose, Exod.* 18. 25. Et electis viris strenuis de CVNCTO Israele, constituit eos principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui iudicabant plebem omni tempore, quicquid autem graue erat, referebant ad eū, faciliora tantummodo iudicantes. Et *Deut.* 1. 12. Non valeo solus sustinere negotia vestra & pondus & iurgia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis principes. Tunc respondistis mihi: Bona res est quam vis facere. Tulique de TRIBVBVS vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis dicens. Audite illos, & quod iustum est iudicate siue ciuis sit ille siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. Atque hos seniores Laicos fuisse apparet, ex eo quod ex varijs tribubus erant desumpti, sacerdotes enim ex sola tribu Leuitica erant.

Alii erant Seniores Sacerdotes. Ex quo *Ieremia* ita loquitur, c. 19. 1. Hæc dicit Dominus, vade & accipe Lagunculam figuli testaceam à Senioribus populi, & à Senioribus Sacerdotum.

Erant autem quædam iudicia merè ciuilia, in quibus seniores Laici absque ope Sacerdotum res iudicabant, ut ius discalceati, Deut. 25. Ibi enim siquis recusaret ducere vxorem fratris defuncti, Mulier virum ad portam vrbis vocabat coram Senioribus vrbis & quæ ei ex lege debebatur tollebat calceum de pede suo, & in eius faciem spuebat, quia recusaret suscitare semen fratri defuncto. Quam legem coram Senioribus vrbis fuat *Boos* propter *Rutham Moabitidem*

bitidem exercuit.

Aliæ erant causæ in quibus Seniores Vrbis (id est, Magistratus ciuilis) vocabant Seniores Sacerdotes, vt negotium eorum ministerio terminaretur, & ita rei decisio ab ipsis pendebat Sacerdotibus, *Deut.* 21.

Alia erant iudicia merè Ecclesiastica, id est, Sacerdotalia quæ a Sacerdotibus expediebantur absque ope Senatus Laici vt lex Lepræ, Leuitic.13. Lex Zelotypiæ mariti erga vxorem, Num. 5. sic purificationes variæ, & oblationes pro peccatis, in quibus incurrebat confessio peccati, coram sacerdote & oblatio in ostio tabernaculi. Et in ijs morum censura exercebatur. Omnia hæc coram Sacerdote expediebantur, nullâ requisita præsentiâ Seniorum populi. Neque vnquam auditum fuit apud Iudæos morum simplicem censuram fuisse commissam senatui Ecclesiastico simul & ciuili, sed solis sacerdotibus, absque Senioribus populi.

Quædam vero erant iudicia Ecclesiastica non simplicem morum censuram spectantia, sed seueriorem coercitionem exigentia, vt si de causa religionis & pietatis, de ipsis legibus, de idololatria, de extraneo cultu, de sanguine maliciosè effuso & similibus ageretur. In quibus casibus si quis superbiens nollet obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrabat Domino Deo, ex decreto iudicis moriebatur homo ille, *Deut.* 17. Ideoque Sacerdotes & iudices ciuiles in huius modi casibus congregabantur, id est, Senatus Ecclesiasticus & ciuilis, ne quis à Sacerdote damnatus, denuo causam coram iudice ciuili institueret, obtendens querimoniam quasi inique esset à Sacerdote damnatus, quod ex eodem loco colligi potest. Hinc factum fuit vt contra Christum, & contra Apostolos Seniores Sacerdotum, & Seniores populi fuerint sæpius congregati.

In nouo Testamento cum Concilium Ierosolymitanum fuit ab Apostolis celebratum, congregati fuerunt Apostoli & Presbyteri, quæso quinam erant illi Presbyteri? nonne ij qui erant ex ordine septuaginta Discipulorum Christi? certe & series historiæ sacræ, & expositio *Eusebij*, & *Clementis Alexandrini* de quibus superius locuti sumus in capitib. Presbyterorum, & septuaginta Discipulorum, satis ostendunt hos fuisse ex septuaginta Discipulorum consortio. Ij enim erant Apostolis proxime adiuncti, & ratio postulabat vt Episcopi & Presbyteri essent congregati in Concilio, Apostoli erant Episcopi septuaginta Discipuli non poterant non esse inter Presbyteros recensendi, & ab eo Concilio cœpit ordo & ius celebrandorum Conciliorum, in quibus Episcopi & Presbyteri congregabantur. Neque ratione conijcere possumus Seniores ciuiles interfuisse in Concilio vbi tantum de rebus Ecclesiasticis agebatur. In eodem Lib. *Act.* c. 21, in aduentu nouissimo D. *Pauli* Ierosolyma, congregati fuerunt omnes Presbyteri Ierosolymitani, ad D. *Iacobum* Episcopum suum vt cum D. *Paulo* de ijs quæ egerat conferrent, & ei quid agendum esset decernerent. Hic etiam cum res Ecclesiasticæ proponerentur, ratio postulat, vt coram senatu Ecclesiastico exponerentur.

D. *Paul.* 1. Cor. 6. reprehendebat Corinthios, eo quod lites etiam apud infideles fouerent, docet eos potius debere sapientem quendam constituere qui lites decidat: Hoc vt fieret senatum ciuilem ordinabat, sic prospiciebat vt

 omnia

omnia negotia expedirentur à Senioribus, scilicet Ecclesiastica, ab Ecclesiasticis senioribus, id est, ab Episcopis, vel Presbyteris verbi Dei nuncijs, aut vtrisque; Ciuilia vero à ciuilibus seniorib. Hinc fit vt *Ambrosius* hæc dicat ad 1. *Tim.* 5. Synagoga, inquit, & postea Ecclesia, seniores habuit, quorum sine Consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod qua negligentiâ obsoleuerit, nescio, nisi fortè Doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri. Dicit tempus fuisse quo nihil ageretur sine Seniorum Consilio, quia neque fideles sua negotia Ecclesiastica expediebant absque Consilio Seniorum Ecclesiasticorum, neque ciuilia, absque Consilio Seniorum Laicorum, & hoc fuisse in Synagoga, id est, antiqua Ecclesia Israelitica, sicut etiam in Ecclesia Christiana, eius ergo sententia exponanda est ex iure quod Iudæis antiquis & Christianis competat, id est, ex concentu *Mosis* & Agni. Num hi Laici Seniores qui ciuilia iudicia decidebant, 1. Cor. 6. essent *[illegible]* aut *ἔννομοι* non possum certam proferre sententiam, sed aliorum iudicio relinquo. Sane si quis fuit vsus Seniorum Laicorum in Ecclesia prisca tempore Apostolorum, exponendus est ex 1. Cor. 6. aut antiquo Iure Israelitarum.

Atque hæc exposita sint iuxta supradictos septem canones Apodiξεως, analogiæ, harmoniæ, æquitatis, spiritus, iuris primæui ex quo diuortium corrigitur, & iuris vniuersalis, quod non transfert vnius gentis specialem consuetudinem ad vniuersas gentes. Quæ sequuntur, ijs quoque sunt consona, at liberius spatiantur apud Historicos Ecclesiasticos, & Doctores & concilia. Hoc autem dico quosdam futuros qui putabunt se posse meas demonstrationes euertere, quia fortasse alias proferent explicationes, meis dissimiles, sciant autem alias explicationes produci quidem posse, quas ego concedam, & ostendam meis non esse oppositas, at nemo potest aliquam proponere demonstrationem, quæ meis sit ex Diametro opposita, quin facile euertatur.

CAP.



Palma Christiana.

Pars II.

CAP. I.

Ad Canones Apostolorum, Præfatio.



Nquirens antiquitates christianæ religionis inter cætera incidi in duos Libros, quorum vnus inscribitur Epitome Apostolicarum constitutionum, quas octo Libris constare aiunt, nuper in Creta insula repertis, inuentore & interprete Carolo Capellio Veneto. Alterius inscriptio est Canones Apostolorum sanctorum, & omni veneratione prosequendorum. Cum hos Libros legerem, apud me iudicaui multum interesse Ecclesiæ Christi vt rerum veritas innotesceret, & ideo necessarium esse vt in eo laboraremus, vt veritatē & veram perquisitionem horū Librorum inuestigaremus. Nam si ab ipsis Apostolis hæc sint tradita, magna fit iniuria & Apostolis & toti Ecclesiæ Christi, nisi ab omnibus admittantur & obseruentur. Si vero sint supposita magna & Apostolis & Ecclesiæ fit iniuria si admittantur. Itaque opus esse sedula inuestigatione & maturo iudicio. Accedens igitur ad Epitomen Constitutionum Apostolicarum, vix videbam qua ratione possit tribui Apostolis. Nam illud διατάξεων ἀποστολικῶν perperam vertitur Constitutionum Apostolicarum, cum vertendum sit Constitutionum Apostolicorum, quia sunt collectanea quædam constitutionum Episcoporum Romanorum, qui se Apostolicos nominant. Sunt ergo constitutiones Apostolicorum, sed non Apostolorum. Secundo ipsa nouitas suspicionem inducit. Tertio quod de illis nulla mentio fiat apud antiquos scriptores, si Apostolorum fuissent apud varias gentes innotuissent. Dicuntur à *Clemente* editæ, cur ergo non potius in vrbe Romana, quam in Cretensi insula inuentæ fuerunt? Si à *Tito* fuissent editæ, facilius crederemus in Creta potuisse custodiri. Cur magis illæ constitutiones quam Canones Apostolorum in angulo delituissent? Nullum prorsus habemus testimonium nisi ipsius Capellij noui authoris. In contextu vero ipso somnia quædam crassa, inepta & male consuta continentur vt hoc de ijs quos Dominus ordinauit. Verba hæc sunt. A seruatore autem nostro NOS tredecim Apostoli: ab Apostolis vero, ego *Iacobus* & ego *Clemens* & nobiscum alij, ne omnes iterum connumeremus. Hæc perpendamus quæso, cum ait. Nos tredecim Apostoli, innuit Apostolos tredecim fuisse simul congregatos, inter quos erant D. *Pe-*

tur, & D. *Paulus*, & D. *Iohannes*; si ita esset cur *Iacobum* & *Clementem* vt præcipuos constitueret omissis *Petro* & *Paulo* & *Iohanne*? quis non videt ineptam esse fabulam. De *Iacobo* quod ipse fuerit ab Apostolis præpositus, hoc ex *Eusebio* satis probatur, at de *Clemente* quis hoc vnquam audiuit? & adhuc supponamus hoc factum fuisse defuncto *Petro* & *Paulo*, etiam si pronomen nos, superius positum non id patiatur. Tamen *Iacobus* ipsi *Clementi* præponitur, & per id Ecclesia Ierosolymitana esset Romanæ præferenda. Proinde si Romani studium suum adhibeant, ad illas constitutiones comprobandas nobis gratum erit, nam ea ratione sciemus Ierosolymitanum Episcopum esse Romano præferendum.

Quod ad Canones Apostolorum, titulus clarus est & Græce & Latine. Fuit autem Germanus quispiam nomine *Gregorius Halloander* qui edidit eo nomine octoginta quinque Canones, at ex illis quinquaginta priores habent titulos suos, reliqui carent titulis, & horum quinquaginta edidit antiquam versionem vna cum sua noua, quæ continuatur in reliquis, quorum non potuit dare antiquam versionem, quoniam vt ipse testatur apud nullum antiquum authorem eos Latine potuit inuenire. Excusandus certe est ea in re si apud antiquos authores nouorum canonum versionem non inuenerit, non defuit diligentia in inuestigatione, verum ad impossibile nemo obligatur. Ipse testatur eos fuisse Latinis incognitos antiquitus, & nos docebimus Græcis quoque incognitos antiquitus, fuisse, ita vt necesse sit eos fuisse de nouo confictos. Ac eos simul falsos ostendemus, ex eorum quoque testimonio qui quinquaginta priores comprobarunt. Itaque nos illos diuidimus in quinquaginta canones priores ordine & tempore. Et triginta quinque posteriores ordine & nouos & falsos. Quorum quidem vltimus comprobat tres Maccabæorum libros cum tempore Apostolorum *Petri* & *Pauli* nondum tertius Liber Maccabæorum esset editus, sed postea fuit à *Iosepho* editus, nec si editus fuisset ab Apostolis approbatus fuisset.

Quoniam *Eusebius* nominatim de libris Maccabæorum scribens ait eos inter sacras Scripturas non haberi, in suo Chronico, in serie successorum *Alexandri* magni. Quod nunquam dixisset *Eusebius* si veri canones Apostolorum libros Maccabæorum comprobassent. Nam & ipse comprobauit canones Apostolorum, sed intellige veros illos & antiquos numero quinquagenario, non autem hos suppositos, nouos & confictos, qui longo tempore postea, per surreptionem eis adiecti fuerunt. Et tantum abest vt ij cogniti essent antiquis Patribus Nicenis, quod ne compilatores quidem iuris canonici eos agnouerunt. Nam si eos viderunt neglexerunt, cum in corpore iuris canonici non citentur.

Reiectis igitur fictis & suppositis & recentibus canonibus qui Apostolis tribuuntur, ad antiquos quinquaginta canones accedamus, quos vt facilius cognoscamus producam ego imprimis fragmentum Epistolæ *Gregorij Halloandri*, ad Amplissimos Reip. Norembergensis moderatores, quale reperitur initio primi voluminis conciliorum. Apostolicos canones, inquit, quos edidit sanctus *Clemens*, *Petri* in episcopatu successor, quo veluti amanuensi vsus est etiā *Paulus* Apostolus, adijcere compulit necessitas. In nullis autem Latinis Libris

bris (quos equidem viderim) extat perfectus illorum numerus * tametsi multoties in Latinam linguam versi legantur. * Inter cæteros vero à *Dionysio* quodam ad *Stephanum* Pontificem, precibus *Laurentij* fratris adducto, qui priscæ translationis imperitia offendebatur, & paulo post, vt de *Iustiniani* verbis taceam, qui expresſis verbis eos Apostolis tribuit. Certe cum perpenderem eius testimonium, dixi apud me si ita sit vt ipse narrat maximum esse antiquitatis eorum indicium. Nam *Stephanus* Papa fuit *Cypriano* & *Irenæo* contemporaneus & si quædam esset tunc antiqua editio cuius imperitia nouæ locum dederit, certe autographon non potest non antiquisſimum esse. At priusquam vellem eius testimonio fidem adhibere, quia non poteram omnia exemplaria antiquorum authorum perlustrare vt eandem producerem historiam ex qua ipse hoc desumpsit, volui veritatem citationis ipsius vestigare hac via. Dixi apud me, si hi canones editi fuerint tempore *Stephani* Papæ, & ei dicati, *Stephanum* non ita illos contempsisse quin in aliquo angulo decretorum suorum de ipsis mentionem institueret. Quare cœpi perlustrare eius decreta. Et tunc inueni in Epistola quadam ad *Hilarium* Episcopum hæc verba Sepulchrorum quoque violatores, & APOSTOLORVM atque successorum eorum reliquorumque patrum STATVTA libenter violantes, &c. Vbi eos damnat qui Apostolorum statuta libenter violant, sicut etiam eos, qui violant statuta successorum Apostolorum, & reliquorum patrum, quæ condemnatio recta quidem est, quatenus statuta successorum & patrum conueniunt cum statutis Apostolorum.

* Scilicet 85.
* Sc. 50. ex illis.

Veni postea ad *Isidorum* qui sic loquitur, in præfatione ad opus Conciliorum. Denique, inquit, propter eorum authoritatem cæteris concilijs præposuimus canones qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & sancti patres eorum sententias authoritate synodali roborarunt, & inter canonicas posuerunt constitutiones. Hoc cum apud *Isidorum* legissem, volui inquirere quænam synodi illos comprobassent, vix enim existimabam aliquam eos posse recipere authoritatem ab vlla prorsus synodo, si eos præterijsset synodus Nicena, quare illam appuli, & primum ipsius canonem. Statim vidi desumptum esse ex Apost. c. 21. 22. & 23. Nic. 4. ex 1. & 35. Apostolorum, Nicenum cap. 5. Nititur Apost. can. 13. 16. 32. 33. 34. 38. Nicen. octauum Nominatim proponit DOGMATA APOSTOLICA, scriptis comprobanda Catharis ad Ecclesiam Catholicam redeuntibus. Et in summa ex tot canonibus Apostolorum desumpti sunt Niceni vt tædiosum esset recitare, quod poteris ex nostris obseruationibus ad Concilium Nicenum clarius percipere. Et quia ex patribus Nicenis aliqui celebrarunt Concilium Gangrense & similiter Antiochenum, volui etiam videre quid ipsi de illis protulissent. Et vidi in Concilio Gangrensi nomine canonum Ecclesiasticorum & traditionum Apostolicarum fuisse celebratos, & desumptos multos canones ex Apostolicis. In Concilio vero Antiocheno vocantur antiqui canones, & facta perquisitione inueni in Antiocheno Concilio 25. canones fuisse constitutos ex 25. canonibus Apostolorum desumptos, non tamen singuli ex singulis sunt decerpti, vt potes ex nostris obseruationibus in idem Concilium colligere. In summa in his tribus Concilijs

lijs a patribus Nicenis celebratis circiter quadraginta canones Apostolorum comprobantur, reliqui vero ex Dei verbo desumpti sunt. Accedo ad Concilium Constantinop. 1. quod fuit celebratum annis 56. post Nicenum, in Epistola eiusdem concilij ad *Damasum* Papam quam *Theodoritus* suæ Ecclesiasticæ historiæ inseruit. Patres Constantinopolitani dicunt se secutos esse veterem seu antiquam Ecclesiasticam sanctionem, & definitionem Nicenorum Patrũ, in ijs quæ concernunt dispensationes rerum secundum vnamquamque prouinciam. Quam sanctionem veterem possunt præponere Concilio Niceno, nisi traditionem Apostolicam? videlicet 35. can. Apost. & 38.

In Concilio Ephesino & eius decreto pronunciato posteaquam ad ipsum Concilium accessissent Episcopi *Cyprij* citantur canones sanctorum patrum et antiqua consuetudo, & iura vniuscuisque prouinciæ quæ antiquitus et ab initio ad eam pertinebant. Et in suggestionibus eorum Episcoporum, hi canones sanctorum patrum et antiqua consuetudo & ius antiquum exponuntur per Apostolicos canones & definitiones sanctissimæ Nicenæ Synodi, quæ nõ prosunt singula multa iuuant.

In Concilio Chalcedonensi actione 16. in canonibus cap. 22. Non licere Clericis, post obitũ sui episcopi, res ad eũ pertinentes deripere, sicut antiquis quoque est canonibus constitutum. Videlicet 40. et 41. can. Apost.

In Synodo Constantinop. 6. decretum prolatum est, quo Apostolorum canones nominatim approbantur, sub fine ipsius Synodi.

Possemus adiicere Aurelianense Conc. 1. cap. 16. & 17. nomine antiquorum canonum et priorum statutorum, citans canones Apostolicos.

In Concilio Cabilonẽsi *Galliæ*, cap. 1. vocantur prisci canones, & eo nomine citantur.

Veniamus ad historicos ecclesiasticos, non opus est recurrere ad obscuros quosdam aut suspectos aut neotericos. Habemus insignia *Eusebij Pamphili* testimonia, in vita *Constantini* lib. 3. cap. 59, in epist. *Constantini* ad *Euseb.* quem laudat quod recusauerat a *Cæsareensi* sede sua Episcopali, ad *Antiochenam* Archiepiscopalem peruadere. Epistolam tuam legi diligentissime (inquit *Constantinus* ad *Euseb.*) ex qua ecclesiæ canonem exquisite abs te seruatum intellexi. In his namque persistere, quæ Deo grata, quæque traditioni Apostolicæ consentanea videntur, per magnæ pietatis est. Est autem traditio illa Apostolica can. Apost. 14. cuius titulus est, Vt ab Episcopis aliena paroecia ne peruadatur. Neque enim existimandum est *Constantinum* citasse traditionem non scriptam, sed traditionem scriptam quam *Sozomenus* vocat legem sancitam eandem *Constantini* epistolam exponens lib. 2. cap. 18. quod ego dico ad euellendam falsam eorum opinionem qui putant hos canones fuisse traditiones non scriptas. Idem *Constantinus* eodem libro sequenti cap. 60. hæc quoque superioribus paria scripsit. Vt decernatis ea quæ cum APOSTOLORVM TRADITIONE penitus consentiant, quibus hominibus vobis iam oportune & commode suppeditatis, vestra prudentia ex ecclesiæ canone, et traditione Apostolica ita vestram poterit electionem moderari vti ecclesiasticæ disciplinæ ratio præscribet. Egregium quidem Imperatoris dictum quare qui regulas disciplinæ ecclesiasticæ quærunt, moneantur ne eas absque

regula et circino exæcutientes quæritent,cum eius habeant ab Apostolis traditas præstantissimas regulas.

Ad alios historicos ecclesiasticos accedo,ac primum ad *Socrat.*lib.5.cap.22. vbi citat antiquam traditionem celebrandi paschatis post æquinoctium vernū, quæ est Apost.*Can.*8.

Theodoritum Lib. 5.cap.9.superius citauimus, ipse enim in sua historia inseruit Epistolam Concilij Constantinop. 1. ad *Damasum* Papam,vbi citat veterem sanctionem et definitionem Concilij Niceni, est enim vetus sanctio quæ illic citatur *Can.* Apostolorum 35. & 38.et definitio Concilij Niceni,est Nicenum cap.5.

Sozomenus lib. 7. cap. 9. de Concilio Constantinop. 1. loquens scribit, Post hæc habito conuentu ipse *Nectarius* & alij sacerdotes, Niceni Concilij fidem ratam esse habendam & vniuersam hæresim abrogandam,tum vt omnes vbiq; ecclesiæ,secundum veteres canones gubernarentur, vtque Episcopi proprijs ecclesijs suis præsiderent,neque extraneas temere inuaderent,neque se priuatorum tacitis electionibus expectantibus committerent,sicut antea sæpe contigerat,dū persecutioni subiaceret ecclesia catholica.præterea quæ in vnaquaque cuiusque nationis Synodo,vt ea quæ rectissima apparerent,ordinarent ac facerent. Quo loco hanc phrasim notare potes ecclesiam secundum veteres canones esse gubernandam,qui locus exponit locum superius citatum cum de Concilio Constantinop. 1. loqueremur,vbi veterem ecclesiasticam sanctionē vocat eam quæ est canon Apostolicus,sicut et hoc loco. Quod enim hic dicit *Sozom.* vt Episcopi proprijs ecclesijs præsideant, & alias non inuadant, pendet ex 14. Canone Apostolorū quod vero de synodo cuiusque prouinciæ dicit, exponit Apost. can.38.

Idem *Sozom.* lib.1. cap.22. citat veterem ecclesiæ traditionem ex *Paphnutio* in Concilio Niceno, quæ est can. Apost. 6. & 27. vt in ipsis canonibus Apostolorum nos latius exposuimus.

Idem *Sozomenus* lib.6. cap.26. sic loquitur, Quidam memorant istum *Eunomium* primum ausum esse asserere diuinum baptismatis lauacrum, vnica immersione debere peragi: sicque traditionem ab Apostolorum temporibus ad hoc vsque tempus obseruatam violasse. Est autem traditio illa 50. canon Apostolorum quod non debeat vna mersio in baptismate,quasi in morte Domini prouenire.

Inuenies etiam initio primi voluminis Conciliorum insigne epistolium *Aureli*j Carthaginensis ad *Damasum* Papam,in quo cupit habere decreta pontificum Romanorum,vt valeat nosse quæ in sede Romana ab ipsis Apostolicis decreta sint, & quæ aduersus CANONVM APOSTOLORVM instituta gesserunt.

Has authoritates adduximus validissimas ex paucis libris desumptas. Si plura quereremus volumina,non dubium est quin alias inueniremus,at hæ sufficiunt et quidem abunde. Neque tamen authoritatem Synodalem adduximus vt existimantes ea quæ ab Apostolis venerunt, egere ad confirmationē sui authoritate Synodorum,sed vt magis appareat veritas historiæ eorum ex multis testibus. Quis enim sanæ mentis audebit sese opponere authorita-

ti-

ti Concili Niceni & trecentos octodecim patres de ignorantia aut conniuentia accusare, quasi Apostolica dogmata ecclesiastica falso iactarent? Cum eo tempore viuerent ij qui erant nati tempore *Irenæi* qui *Polycarpum* discipulum Apostolorum viderat? Itane illo sæculo Patres *Niceni Gangrenses* & *Antiocheni* et *Eusebius* insignis historicus et *Constantinus* magnus citantes Apostolorum traditiones, decipiuntur? Nam Patres *Niceni* in Concilijs Niceno, *Gangrensi*, & *Antiocheno* exponunt triginta octo canones Apostolorum, alios duodecim non exposuerunt, sed ex illis duo exponunutur in historia ecclesiastica locis superius citatis, restant tantum decem, qui etiam desumpti sunt ex sacris biblijs. Quod si Patres *Niceni* decepti fuerunt, quæso num *Stephanus* Papa etiam decipiebatur tempore *Irenæi* & *Cypriani* viuentibus ijs qui discipulos Apostolorum viderant? Nec dubium est quin plura haberemus testimonia, nisi hoc obstitisset, quod sunt leges Consistoriales, inter sacerdotes custoditæ, non autem plebeijs quibuslibet expositæ.

Sed præcipua horum canonum approbatio ex eo pendet. Primo quod doctrinam puram ex Euangelio desumptam continent, et nullam inducunt aut sustinent superstitionem, aut vanitatem, qualem continent ficti canones ab hominibus inuenti. Secundo ordinem ecclesiasticum constituunt conformem ordini qui fuit sub lege naturæ & sacerdotio *Melchisedechi* & sub *Aarone* et lege *Mosaica*, & sub lege Christi, videlicet sub Christo, sub Apostolis, & tota primitiua ecclesia vsque ad Concilium Nicenum. Quæso quid magis fuit vnquam admirationi dignum quam quod Euangelium fuit in minori tempore quam quinquaginta annorum promulgatum per vniuersum mundum? Et quo modo hoc potuit fieri nisi assumpto optimo ordine in persequendis negotijs suis? At hoc præ cæteris est magis admirabile, quod in omnibus mundi regionibus idem ordo Episcoporum & presbyterorum & Diaconorum fuit admissus. Vnde hoc quæso? ex hominum traditione & humano consensu, vt quidam putant? Imo tam potuit illud induci humano consensu quam mundus potuit fortuito ex atomis concretis concreari. At hoc fuit factum prudentia Apostolorum quos regebat Dei spiritus, qui etiam antequam e Ierosolymis discederent anno duodecimo a Christi passione traditiones constituerunt quarum quidem pars vna complectitur Symbolum Apostolicum a patribus Nicenis expositum, altera continebat Canones Apostolorum ab ijsdem Nicenis patribus expositos.

Nec tantum fuit ordo Episcopalis per totum orbem acceptus, sed etiam vt Episcopi in ciuitatibus vbiq; constituerētur, & Primates in primis ciuitatibus. Et quamuis mundus sit magnus, & in eo sint prouinciæ penes innumeræ, nulla tamen potest inueniri quæ non obseruauerit eundem ordinem Episcoporum & Primatum, exceptis tribus videlicet *Scythia*, in qua quamuis plures sint ciuitates, tamen consuetudo inualuit, vt vnus Episcopus & solus fuerit in eius metropoli vt refert *Sozomenus* Lib. 7. cap. 19. et etiam excepta *Arabia* & *Cypro* vbi etiam in pagis constituebantur episcopi, sicut apud *Nouatianos* & *Montanistas* in *Phrygia*. At reliquæ innumeræ prouinciæ eundem obseruarunt ordinem, quod non fuit factum casu, sed ex canone antiquo vt loquitur cap. 9. *Antioch.* & ex traditione Apostolorum vt loquamur cum *Eusebio* & Concilio

Gangrensi

Gangrensi, et ex statuto Apostolorum vt loquar cum *Stephano* antiquissimo Papa, & ex ordine quem ipse D. *Paulus* in suis epistolis exponit.

Neque hoc est etiam omittendum, quod cum Apostolorum canones rectum constituant et vere Apostolicum ordinem ecclesiasticum, Episcoporum videlicet & primatum in singulis gentibus, nullam patiuntur tyrannidem. Ex quo factum fuit vt cum *Anacletus* non inueniret in illis canonibus, quo possit stabilire primatum vniuersalem, coactus fuit confiteri Romanam ecclesiam non habere primatum suum ab Apostolis, sed recurrit ad dictum Domini, tu es *Petrus* & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, at si Christus ea ratione Romano primatum dedisset, Apostoli fideles executores voluntatis ipsius non hoc omisissent.

Et ideo *Aurelius* Carthaginensis episcopus in epistola superius citata manifeste assumit canones Apostolorum vt lapidem Lydium, ad examinanda decreta Pontificum Romanorum, cum quærit quæ in præfata sancta sede supradictis temporibus sunt decreta, & quæ aduersus canonum Apostolorum instituta gesserunt, neque alijs armis vsi sunt *Aphricani* ad expugnandā & repellendā Paparum tyrannidē, quam Apostolorum canonibus et decretis Nicenis. Ex quo factum fuit vt *Gelasius* Papa gente Apher, mente vafer, sciens quibus armis conterranei sui, prædecessores suos expulissent, præsumpserit hos canones Apocryphos proferre ὑπὲ πρὸς λύραν, et canis lunæ adlatrans. Nos vero quid opponemus huic Aphro? num authoritate Conciliorum eum obruemus? Non sed apro leonem opponemus vt Papa Papam confodiat. Nam ita loquitur Papa Leo in epistola 85. ad episcopos Aphrican. per *Mauritaniam Cæsareensem* constitutos, eiusdē epist. c. 2. Superest, fratres vt concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionē agentes, sed ad omne studiū deuotionis vnanimes, diuinis & APOSTOLICIS CONSTITVTIONIBVS pareatis, & in nullo patiamini pia CANONVM decreta violari. | Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, ANTIQVIS deinceps custodienda sunt REGVLIS &c: Idem in Epist. 90. ad Rusticum Narbonensem episc. cap. 2. ijs consentanea scribit. Ita vt non opus sit citare *Stephanum* antiquissimum Papam qui eos notat infamia qui statuta Apostolorum libenter violent cum certum sit hunc non posse cum suis Aprinis dentibus effugere vngues leoninos, et Leo abunde sufficiat, ad aprum expugnandum. Neque est quod quispiam inducat temporis rationem. Nam Synodi comprobarunt hos canones ante *Gelasium*, & aliæ etiam post ipsum *Gelasium*. Libenter tamen audirem rationes *Gelasij*, at ipse nullas proposuit nudū decretum protulit his verbis, Liber Canonū Apostolorum Apocryphus, Imo potius decreta *Gelasij* apocrypha. Fuit olim *Samuel* e cœlo per vocē pythonissæ deductus, supponamus e contrario *Gelasium* Papam ex inferno ab aliquo bono Angelo reuocari vt sustineat decretum suum, quasnam proferet rationes? Certe nullas nisi hanc solam, quod in illis canonibus ea damnantur vitia, quæ nondum erant perpetrata. At hoc non sufficit modo ea non damnentur quæ perpetrari nequeunt. Verbigratia: dicit nondum Imperatores fuisse Christianos et proinde Apostolos non potuisse ferre legem contra eos, qui seculari potestate in episcopatum, intruderentur. Bona verba quæso, idem est

aesi quis diceret legem *Mosaicam* non esse *Mosis* quum constituat annum libertatis seruorum cum in deserto Israelitæ carerent seruis,& ius primitiarum cum in diserto nullum esset frumentum, & ciuitates refugij quum in deserto nullæ essent vrbes,& septimi anni Sabbathum terræ, cum in deserto fertiles agri nulli essent. At inquis lex futuris prospiciebat. Ita et leges Apostolicæ. Quæso ne exuas Apostolos spiritu prophetico, vt de futuris prospicere queant. Et adhuc nouimus Sergium P*aulum* proconsulem *Paulum* Apostolum libenter audiuisse,et proconsulem Achaiæ in fauorem Christianorum permisisse vt coram se vapularet Archisynagogus, porro authoritas proconsulis vnius sufficiebat ad intrudendum episcopum,nisi Apostoli prospexissent. Neque etiam omnia quæ a falsis fratribus fiebant tempore Apostolorum scripta sunt in sacris Biblijs, cum ipsius Christi facta quam plurima omittantur, quæ si scriberentur,totus mundus non posset ea comprehendere: quare si quid offerrent quod Dominus non præcepisset ex quo 3. et 4. canoni locum dederint, non apparet, verum ex eo quod non scriptum est, non sequitur non ita fuisse, aut canonem latum non fuisse. In summa taceat Gelasius ne se potius ineptum et rediculum quam ridentem Gelasium præbeat,et canones Apostolorum in sua antiqua et pristina authoritate relinquat, nam certe authoritas apocrypha Gelasii non potest ea apocryphare quæ celeberrima omnium concila celebrarunt. Diximus autem superius Stephanum Pontificem Romanum Cypriano contemporaneum , eos infamia notare qui Apostolorum et successorum eorum , omniumque Patrum statuta libenter violant, ego tot hominum statuta non commendo. At vox illa Ignatii mihi chara est quam refert Eusebius. Traditionem Apostolorum indiuulse teneatis. Si qui, opponant Isidorum asserentem quosdam hos canones non recipere, a maiori parte tamen eos recipi, ego respondeo hoc non obstare eorum authoritati nam etiam aliqui interdum dubitarunt de epistola secunda D.Petri et epistola Iudæ vt Eusebius testatur, et tamen nunc ab omnibus recipitur. Ita et concilium Nicenum hos canones comprobauit, Cathari et similes hæretici eos reiiciebant, ex quo factum fuit vt 8. canon Nicenus eos comprobauerit. Quare propter Catharorum contemptum, quos Papa Gelasius sequutus est, rem sanctam reiicere non debemus



Tituli Canonum Apostolorum. Cap. 2.

1 De ordinatione episcopi
2 De ordinatione presbyterorum, diaconorum, et cæterorum.
3 Nihil aliud in sacrificio, præter quod Dominus statuit offerendum.
4 Quæ species ad altare, non ad sacrificium, sed ad benedictionem sim-

plicem debeant exhiberi.

5 Quod ea quæ in ecclesia offerri non possunt ad domus sacerdotum a fidelibus deferantur.

6 Vt Episcopus aut presbyter vxorem suam quam debet caste regere non relinquat.

7 Vt sacerdos et ministri altaris, secularibus curis abstineant.

8 Quo tempore pascha celebretur.

9 Quod ministri altaris oblatione celebrata, communicare debeant.

10 Quod fideles laici ingredientes ecclesiam communicare debeant.

11 Quod cum excomunicatis non sit orandum.

12 Quod cum damnatis clericis non sit orandum.

13 Vt nullus fidelium præter commendatitias suscipiatur epistolas.

14 Vt ab episcopis aliena paroecia ne peruadatur.

15 Vt clerici proprias paroecias non relinquant.

16 Vt episcopus qui clericos alterius susceperit communione priuetur.

17 Quod bigami non admittantur ad clerum.

18 Quod is qui viduam vel eiectam aut meretricem acceperit, non admittatur ad clerum.

19 Qui duas sorores in vxores duxerit, non admittatur ad clerum.

20 Clericum fideiussorem esse non posse.

21 Quod hi qui non sponte eunuchizati sunt, suscipi possint ad clerum.

22 Vt is qui se eunuchizauit clericus non fiat.

23 Vt clericus qui se eunuchizauit abijciatur a clero.

24 Vt laicus qui se eunuchizauit tribus annis communione priuetur.

25 Quod episcopus, aut presbyter, aut diaconus, si pro criminibus damnentur non tamen communione priuentur.

26 Similiter et reliqui ministri ecclesiæ.

27 Qui clerici debeant coniugibus copulari.

28 Quod episcopus presbyter aut diaconus, fideles peccantes verberare non debeant.

29 Quod damnati pro criminibus, officium pristinum vsurpare non debeant.

30 Quod non debeant officia ecclesiastica pecuniis obtineri.

31 Quod ecclesia seculari potentiâ minime peruadatur.

32 De presbytero, qui contempto episcopo seorsim conuentus congregare tentauerit.

33 Quod clerici damnati non debeant ab aliis recipi.

34 Vt nullus episcopus, presbyter aut diaconus, sine commendatitiis suscipiatur epistolis.

35 De primatibus.

36 Quod non liceat episcopum in alia paroecia ordinare.

37 De ordinatis episcopis et non receptis.

38 Vt bis in anno concilia celebrentur.

39 Vt tantam curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat.

40 De dignitate pontificis et quod rerum suarum habeat potestatem.

41 Quod episcopus rerum ecclesiasticarum, pro dispensatione pauperum habeat potestatem.

42 Quod episcopus, presbyter, et diaconus, aleator et ebriosus esse non debeat.

43 Similiter clerici et laici, si permanserint in alea communione priuentur.

44 Quod episcopus, presbyter et diaconus non debeat vsuras accipere.

45 Quod non debeat episcopus presbyter aut diaconus cum hæreticis orare.

46 Quod non debeant hæreticorum baptismata comprobari.

47 Quod ecclesiæ baptismate baptizatus, denuo baptizari non debeat, & non ita baptizatus debeat baptizari.

48 Laicum pellentem suam coniugem communione priuandum.

49 Quod in nomine Trinitatis debeat baptizari.

50 Quod non debeat vna mersio in baptismate quasi in morte Domini prouenire.

ΚΑΝΟΝΕΣ τῶν ἁγίων καὶ πανσέπτων ἀποστόλων.

Canones Apostolorum sanctissimorum & omni veneratione prosequendorum.

α

Cap. 1.

Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν.

Episcopus a duobus aut tribus episcopis ordinetur.

Apostolatus vocatur episcopatus Act. 1. Ex quo cognoscimus primos omnium Christianorum episcopos fuisse Apostolos. Cumque Apostoli ad societatem suam Apostolicam & episcopalem admitterent D *Paulum* et *Barnabam*, tres ex illis, scilicet *Iacobus* & *Petrus* & *Ioannes* eis dederunt manus societatis, ex quo etiam ostenderunt episcopum a tribus episcopis si fieri possit ordinari debere, et eadem est huius canonis mens, quandoquidem potior pars legis quatenus fieri potest est tenenda. Debilior vero in extremis casibus, vt vbi propter persequutionem atque barbarorum et inimicorum incursionem et episcoporum penuriam tres episcopi absque maximo periculo congregari nequeunt vt factum interdum fuit in Pentapolitana prouincia exigua et a Barbaris infestata, vt legimus in Concilio Carthag. 3 & Aphricano.

At in Concilio Niceno c. 4. et Antiocheno c. 16. et similibus requiritur aut Synodus omnium episcoporum prouinciæ aut vt a tribus ordinetur reliquis comprouincialibus per epistolas comprobantibus. Verum tempore Niceni concilii Arriani ecclesiam conturbabant, ex quo etiam quædam decreta propter eorum perturbationes fuerunt lata, vt 15. Can. Nicenus. Sic etiam et propter Arrianorum tumultus inductum erat, vt omnium episcoporum prouinciæ ad episcopum ordinandum consensus per epistolas mitteretur. Itaque in pacata prouincia cum iudicio vtere iure huius canonis, in conturbata, sequere canonem 4. Nicenum.

In Concilio etiam Niceno et Antiocheno et alias in ordinandis episcopis præ cœteris requiritur directio metropolitani, iure quidem et merito, atque hoc desumitur ex sequenti Cap. 35.

Presbyter

β

Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου χειροτονείσθω, καὶ διάκονος καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί.

Cap. 2.

Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & diaconus, & reliqui.

D. *Paulus* Tito Cretensi episcopo præcipit, vt constituat presbyteros in omnibus oppidis, nec iubet vt alium episcopum propterea sibi adiungat. Idem etiam Timotheo mandat, et ideo ab vno episcopo fieri solet impositio manuũ presbyterorum, ita vt nec duo nec tres episcopi ad id præstandum requirantur, si tamen episcopus ordinans presbyterum, alium presbyterum aut presbyteros sibi adiungat, hoc non est contra regulam, sed magis secundum illam. Huic canoni consentanea traduntur Antioch. c. 9.

γ

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν, τὴν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἢ μέλι ἢ γάλα, ἢ ἀντὶ οἴνου σίκερα ἐπιτηδευτά, ἢ ὄρνεις, ἢ ζῶα τινὰ ἢ ὄσπρια, ὡς παρὰ τὴν διάταξιν κυρίου ποιῶν καθαιρείσθω.

Cap. 3.

Si quis Episcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat, super altare: id est aut mel aut lac, aut pro vino siceram, & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, vt præter constitutionem Domini faciens, deponatur.

Habemus altare de quo edere non possunt Leuitæ qui seruiunt Mosaico tabernaculo vt loquitur D. *Paul.* Heb. 13. Est autem altare mensa Domini vt docet *Gregorius* Nissenus in tractatu de Baptismo. In eo offertur corpus Christi, non quidem iteratione sacrificii, sed iterata commemoratione ostiæ ipsius semel oblatæ. sic Christus est Agnus occisus a constitutione mundi vt loquitur Apocalypsis, & si tunc occisus fuit, fuit quoque occisus quoties legitime uit sacrificatum, non decies, non centies, non millies, sed decies centies millies, quanquam non potuerit mori nisi semel, at in antiquis sacrificiis typice et figuratiue, et commemoratiue occidebatur et mactabatur, consimili ratione et nunc, cum semel sit realiter mortuus millies atque iterum millies offertur ἀναμνηστικῶς & commemoratiue. Cum scilicet sacramentum altaris eucharisticum deo offertur. Altaris et oblationis (id est sacrificii) vocabulis vtebatur primitiua ecclesia, sed sub sensu spirituali, vt D. *Paul.* loco. sup. citato ex Hæb. 13. Sic Cyprianus lib. 3. epistolar. epist. 14. et 15. et 16. reprehendit presbyteros qui nimis festinanter et præpropere offerebant et eucharistiam conferebant lapsis, contra ordinem et traditionem, quum hoc debuissent secundum ordinem a patribus traditum agere. Origenes quoque antiquissimus et diligentissimus scriptor sæpissime eucharistiam vocat oblationem, et illud exponit lib. 4. c. 34. afferent nos ei offerre, non vt indigenti, sed vt gratias agentes beneficii ab illo accepti, apud Irenæum quoque hanc loquendi formam sæpius inuenies. Prohibet igitur hic canon ne in eucharistica oblatione ab episcopis aut presbyteris offeratur aliud quã quod Dominus præcepit, videlicet panem et vinum. Pendet hic canon ex institutione Coenæ Dominicæ Math. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. Offerendi etiam corpus Christi consuetudo citatur in concilio Niceno. 18.

δ

Πλὴν νέων χίδρων ἢ σταφυλῆς τῷ καιρῷ τῷ δέοντι μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς.

Cap. 4.

Præter nouas spicas & vuas conuenienti tempore non liceat offerri, aliquid aliud ad altare, nisi oleum ad luminaria, & thymiama tempore quo celebratur sancta oblatio.

Ex superiori capite apparet episcopo & presbytero non licuisse aliquid aliud super altare offerre, quam quod Dominus præceperat, scilicet panem & vinum in figuram corporis et sanguinis Christi. Cum ergo sacerdos Christianus non posset offerre agnos aut hircos aut columbas aut turtures, aut similia sicuti fiebat sub antiqua lege, quod expresse prohibebatur superiori capite non licebat populo christiano, talia ad altare Domini offerre. Verum quia panis et vinum offerebatur, ideo & christianis offerre licebat nouas spicas et vuas tempore congruo, vt ex illis sacerdos panem et vinum Domino offerendum conficeret. Dixit Dominus si offeras munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habe aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade & prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Iuxta id patres Niceni cap. 5. voluerunt vt concilium primum singulis annis per prouincias celebrandum ante quadragesimam paschatis cogeretur, vt omnibus sublatis controuersiis & dissidiis, munus purissimum offerretur, videlicet sub ipso paschate atque hæc oblatio ex antiqua lege deducitur, vbi solebant spicas pro primitiis, dare. Leuitic. 23. 10. Etenim Israelitæ solebant soluere suas primitias, quæ erant decimæ, sacerdoti. Ipse vero sacerdos ex fasciculis frumenti solebat manipulum vnum desumere; & pro exhibente corā altari deo offerre. Thymiama etiam offerri permittitur hoc canone. Id concessum fuisse censeo non superstitiose sed politice, quia interdum excitantur foetores, ex nimia frequentia, præcipue tunc vbi in ipsis coenaculis solebant interdum pernoctare, quos solebant vt verisimile est incenso thymiamatis expellere. Sic videre licet in Germania hyemali tempore singulis diebus in hypocaustis foetorem aromate expelli. Eos vero qui aromata non possunt sibi comparare iunipero sumptus subleuare. Ita vt pauperes quidem non careant, quo foetorem suaui & salubri odore expellant.

Eadem fuit ratio offerendi oleum, politica scilicet, quia in verbo & precibus pernoctare solebant, ideo oleo opus erat ad luminaria accendenda & conseruanda, non enim opus erat continuo igne luminariorum vt sub antiquo Aaronis sacerdotio. Hic possemus adducere sententiam Doctorum antiquissimorum asserentium multa ab Apostolis fuisse ex antiquo Iudæorum more retenta, quæ negligentia episcoporum in desuetudinem venerunt, at nolumus homines ad pædagogiam Israeliticam reducere.

ε

Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω, ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον. Δῆλον δὲ ὡς ὁ ἐπίσκοπος καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἐπιμερίζουσι τοῖς διακόνοις, καὶ τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς.

Cap. 5.

Cunctus alius fructus domum mittatur, primitiæ Episcopo & presbyteris, sed non ad altare. Manifestum vero est, quod Episcopus & presbyteri partiuntur diaconis & reliquis clericis.

Sub

Sub antiqua lege Mosaica duo erant primitiarum id est decimarum genera Vnum erat populi quo sacerdotibus offerebant suas primitias, id est decimas ex quibus sacerdos accepiebat manipulum frumenti, & illud offerebat coram Domino, secundum genus erat, primitiarum leuitarum, Nam cum leuitæ a populo accepissent primitias, id est decimas, rursus suas primitias offerebant summo sacerdoti, id est decimarum decimas, Quod quidem apparet ex Num. 18. 26. his verbis Præcipe leuitis atque denuncia, Cum acceperitis a filijs Israel decimas quas dedi vobis, primitias eorum offerte Domino, id est decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum tam de areis, quam de torcularibus, his verbis exponit leuiticas primitias, quæ erant decimarum decimæ. At consequenter loquitur de laicis primitijs Et de vniuersis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date ea Aaron sacerdoti, quæ offeretis ex dicimis. Nam ipsi accipiebant a populo primitias quæ statim docentur esse decimæ, ex quibus decimam partem Aaroni offerebant. De his laicis primitijs loquitur etiam lex Deut. 23.19 & 34.26. Leuitic. 27.30. Deut. 18. 4.

Cæterum ait Dominus Math. 23. 23. Væ vobis scribæ & Pharizæi hypocritæ, quia decimatis mentam & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem, hæc oportuit facere, & illa non omittere, quæ quidem a Domino proferebantur eo tempore quo ea exponebat & dirigebat, quæ erant in lege dirigenda, vt diuortium, quod a Domino subducebatur. At decimarum solutionem non auferebat, sed magis confirmabat dicens oportuisse facere iudicium & misericordiam & fidem, & non omittere decimas. Hinc fit vt D. *Paul.* non dubitet dicere Dominum ordinasse vt ij qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant. Sicut ii qui sanctuario ministrabant, quæ de sanctuario sunt edebant, & qui altari deseruiebant, cum altari participabant. 1. Cor 9. 13. Atque obseruandus est mos D. *Pauli*, qui quidem vbi præceptum Domini non accepit, præceptum non præsumit dare, sed consilium, vt is qui habet Dei spiritum, vt noluit de virginibus dare præceptum, sed consilium, at hac in re, non loquitur vt consilium dans, sed Domini ordinationem exponens, qua in re non minuit ius eorum qui nunciant Euangelium, sed ad illos transfert aperte & manifeste ius antiquorum sacerdotum, leuitarum sublatis sacrificiis. Hæc D. *Paul.* docuit, Ipse tamen suo abstinuit iure, ne offendiculum præberet nascenti apud gentes Euangelio, quinetiam propriis manibus est operatus vt parceret egenis ecclesiis, nec quicquam exegit, quam quod quisque libere voluit dare tamen satis docuit si voluisset, se potuisse vti iure suo vt alii vtebantur. Cæterum cum dicat Dominum ita ordinasse, quæri potest vbi appareat Dominum hoc ordinasse. Nam certe hæc ordinatio Euangelica ab Euangelistis non magis debuit prætermitti quam a Mose. Sic cum D. *Petrus* citaret verba Domini de baptismo Ioannis, Act 11. quære reperies vbi Dominus promisisset baptismum in spiritu sancto, & statim inuenies hoc Act. 1. 5. Et hæc ordinatio de qua loquitur D. *Paulus* cum minime sit obscura, in Euangelio debet simili ratione perquiri. At non alio loco inuenietur quam superius citato Matt. 23. 23. vbi dicit hæc oportebat facere, & illa non omittere obiurgans Pharizæos.

eo quod præcipua legis omisissent. Admonet D. *Paulus* vt simus contenti victu & vestitu. 1 Tim. *6. 8* pietatem esse magnum lucrum. Hæc dicuntur omnibus hominibus præcipue pastoribus, qui sunt lux mundi Matt. 5. idem enim præcipit Iob. 1. 21. & Prouerb. 27. 26. Deus etiam dederat leuitis decimas pro rebus eis necessariis Num. 18. 24.

Hos autem Canones 3. 4. & 5. citant & exponunt Patres Niceni in Conc. Nic. c. 5. & Gangr. 7. & 8. & Antioch. 5.

ς

CAP. VI.

Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας. Ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω.

Episcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat, si vero reiecerit, excommunicetur, sed si perseuerauerit, deijciatur.

Hic canon potest confirmari ex 1 Cor. 9. & 1 Tim. 3. Cæterum Phaphnutius in Concilio Niceno nuptias presbyterorum comprobans aduersus eos qui coelibatum volebant inducere citauit antiquam traditionem qua presbyteri vxorati suas vxores minime desererent. Et illa antiqua traditio est hic canon. Ex quo apparet hos canones fuisse indicatos nomine veterum traditionum. Hoc leges apud Sozomenum lib. 1 c, 22.

ζ

Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω εἰ δὲ μὴ καθαιρείσθω.

Episcopus aut presbyter aut diaconus nequaquam seculares curas adsumat, sin minus, deijciatur.

Hic canon nititur 2. Tim. 2. 4. dicente Apostolo Nemo militans deo implicat se negotiis secularibus. Hinc fit vt in 1. Conc. Carth. c. 6. Gratus episcopus dixerit & Apostolorum statuta sunt quæ dicunt Nemo militans Deo, ingerit se negotiis secularibus. Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum, deinde de actoribus & tutoribus pupillorum, reddita ratione posse ordinari, quinetiam apothecarios & procuratores non licere eligere ad clerum, hæc a sup. c. 4. ad 9. c. Carth. 1, Conc.

Super hunc locum quæri potest num episcopus possit Regi aut principi a conciliis esse. Hic canon videtur contrarium asserere rigide expositum, at huic expositioni opponi potest quod Melchisedech ipse fuit Rex & sacerdos, si enim in eundem possint incidere hæc duo officia, multo magis in duos quorum vnus ab alio consilium capiat, & idem Rex quatenus erat Rex poterat habere ciuiles conciliarios, & quatenus erat sacerdos conciliarios sacerdotes. supponamus quoque si fieri posset vt Melchisedech potuisset in duos diuidi scilicet in Melchisedechum Regem & Melchisedechum sacerdotem, vt duo officia distincta possidebat, certe Melchisedech sacerdos potuisset facile esse consiliarius Melchisedechi regis. Idem de Heli dicere possumus, & de Samuele qui fuerunt vna principes & sacerdotes, & postea separato principatu a Sacerdotio, per creationem Regis Sauli, Samuel non destitit esse Saulis consiliarius, donec Saul fuerit a Domino reiectus, cuius consilio ita destituebatur Saul, vt eum mortuum etiam interpellaret, consilium eius quæritans. Et si Iethero sacerdos exterus genero Mosi consilium commodissimum dare potuit, quod pro per-

petua

petua lege apud populum Dei habitum fuit, cur non idem poterat & Aaron domesticus sacerdos,& Mosis frater præstare? Ioas recte vixit, quamdiu præditus fuit consilio Ioiadæ sacerdotis,mortuo vero eius grauissimo consiliario ad deteriora conuersus est.

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω.

Si quis Episcopus aut presbyter aut diaconus sanctum pascha diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, abijciatur.

De celebratione diei paschatis multæ fuerunt inter antiquos disputationes. Prima quidem inter Asianas & Europæas ecclesias fuit cum Polycarpus hæc cum Aniceto Romano episcopo ageret, fraterna quidem disputatione, in qua Polycarpus tuebatur traditionem non tamen scriptam D. Iohannis,& aliorum discipulorũ Christi qui in Asia diu vixerant.Contra vero Anicetus quia Christi resurrectio die Dominico fuerat, contendebat fieri debere celebrationem paschatis die Dominico. Voluit ex illis quilibet custodire consuetudinem suam,manente tamen integro vinculo Christianæ societatis. At postea Victor eandem quæstionem renouans,eousque dementiæ progressus est,vt omnes Orientales ecclesias excommunicatas pronunciarit,bruto quidem fulmine, qua de re acriter fuit ab Irenæo nostro qui Galliæ primas erat reprehẽsus nomine Gallicarum ecclesiarum. Anticipabat Victor tempus Antichristi,& ea vsurpabat,quæ melius conueniebant successoribus suis qui in sæculo magis crasso & tenebricoso regnabant.Sozomenus hist.eccl.lib.7.ca.19. Polycarpi colloquium ait fuisse cum Victore, at nescio cuius vitio factum sit,vt Victoris nomen loco Aniceti irrepserit. Nam Polycarpus hæc expediuit cum Aniceto quæ ad pacem ecclesiæ spectabant,vt docet Euseb. lib.5.c.23. Victor insolenter se gessit erga Policratem post obitum Polycarpi,vt docet Euseb.eodem lib.c.21.& 22.Tandem Concilium Nicenum rem composuit, & iussit vt eodem die vbique celebraretur,scilicet die Dominico.

Socrates lib.5.cap.21.quæstionem aliam de paschate proponit Nam ait Samaritanos solitos fuisse celebrare pascha post æquinoctium vernum. Samaritani vero in quibusdam cum Iudæis consentiebant,in aliis dissentiebant, & erant Iudæi mixti cum gentibus,vt ex libro regum Iudæ apparet. Ait ergo Samaritanos, qui sunt secta Iudæorum, perpetuo post æquinoctium pascha celebrare solitos fuisse, Iudæos vero neque tempora celebrandi paschatis,neque modum accurate obseruare.Tamen Iosephus,Philo Iudæus, Eusebius & Sozomenus loco sup. citato aiunt Iudæos fuisse solitos pascha suum celebrare post ingressum Solis ad primum punctum Arietis, qua in re videntur euertere,& Socratis sententiã,& ea quæ in hoc Apostolorum canone continentur. Huius difficultatis solutio hæc est. Solebant Iudæi ex institutione Paschatis a Mose tradita pascha celebrare decima quarta luna primi mensis lunaris quæ accidebat aut sub ipso æquinoctio, aut deinceps proxime sequebatur æquinoctium,qua de re circuli Paschales & numeri aurei inuenti vt testis est Eusebius ab Agathabulo & eius discipulo Aristobulo ex vrbe Panea de,quæ est Cæsarea Philippi, eratque vnus e septuaginta Doctoribus Bibli-

rum sacrorum Græcis interpretibus, tempore Ptolomæi Philadelphi regis Aegypti. At Pharizæi aliam induxerant traditionem, qua si decima quarta luna incideret, die proximo Sabbathi Mosaici, videlicet feria prima, aut sexta tunc mutabant festum paschatis ad diem Sabbathi, ne duo festa concurrerent. Ex quo fiebat, vt si decima quarta luna accideret die verni æquinoctii, & Sabbathum vno die præcederet, pascha celebraretur in illo Sabbathi die, vno die videlicet ante æquinoctium, quanquam decima quarta luna non præcedebat æquinoctiũ, & quia hoc nõ erat ex institutione Mosaica, sed ex traditione Pharizaica, merito ab Apostolis talis celebratio ante æquinoctium vernum reiicitur, & hoc est quod Socrates dicit Iudæos non satis accurate obseruasse tempus paschatis, & Samaritanos melius post æquinoctium obseruasse. Cæterum Apostoli non hoc decretum protulerunt in odium propriæ gentis, pro qua & mori & esse anathema voluissent, vt eam ad Christum adducerent, nec in odium Mosaicæ traditionis iuxta quam Christus ipse pascha celebrauit, sed in odium Pharizaicæ traditionis, quam Christus etiam non erat secutus. Nam eo anno quo Christus passus est, decima quarta luna incidebat in diem æquinoctii, qui est dies Veneris, & ideo Christus in vigilia ipsius decimæ quartæ lunæ iuxta Mosaicam institutionem pascha celebrauit. At Iudæi ex sua Pharizaica traditione, pascha quod debuit celebrari die Veneris, celebrarunt die Sabbathi, ne scilicet duo festa simul concurrerent. Et ita videmus Christum obseruasse institutionem Mosaicam in celebrando paschate, non autem ipsos Iudæos. Et eodem modo apparet ratio huius canonis. Cæterum Socrates eodem. c. 21. lib. 5. asserit nullam fuisse ab Apostolis datam regulam aut traditionem scriptam, de celebrando paschate, aut die Dominico, aut decima quarta luna, tamen docet veterem esse traditionem celebrandi paschatis post vernũ æquinoctium, quæ traditio est canon Apostolicus quem nos exponimus.

θ

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἐὰν εὔλογος ᾖ, συγγνώμης τυγχανέτω. εἰ δὲ μὴ λέγει ἀφοριζέσθω ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ καὶ ὑπόνοιαν ποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος.

Cap. 9.

Si quis Episcopus aut presbyter aut diaconus vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicauerit, causam dicat, vt si rationabilis fuerit, veniam consequatur, sin minus dixerit, communione priuetur, tanquam qui populo causa læsionis extiterit, suspicionem conijciens in eum qui obtulit.

ι

Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας, τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή.

Cap. 10.

Omnes fideles qui ingrediuntur ecclesiam & scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratione, & sancta communione, vt perturbantes ordinem ecclesiæ, communione priuari conuenit.

Ex hoc sicut & superiori canone deductum fuit Antiochen. Conc. cap. 2. Nituntur autem dicto D. Pauli 1. Cor. 14. 40. Omnia fiant honeste & secundum ordinem.

ια.

Εἴ τις ἀκοινωνήτῳ κἂν ἐν οἴκῳ, συνεύξηται, οὗτος ἀφοριζέσθω.

Cap. 11.

Si quis cum excommunicato licet in domo simul orauerit, iste communione priuetur.

ιβ.

Εἴ τις καθῃρημένῳ κληρικὸς ὢν ὡς κληρικῷ συνεύξηται, καθαιρείσθω καὶ αὐτός.

Cap. 12.

Si quis cum damnato clericus vt cum clerico simul orauerit, iste damnetur.

Nituntur ii duo canones. Mat. 18. 17, & 1. Cor. 5. 11.
Ex iis duobus canonibus deducitur pars 2. cap. Antioch. Synod.

ιγ.

Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῇ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω καὶ ὁ δεξάμενος καὶ ὁ δεχθείς, εἰ δὲ ἀφωρισμένος εἴη, ἐπιτεινέσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμός, ὡς ψευσαμένῳ καὶ ἀπατήσαντι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ.

Cap. 13.

Si quis clericus aut laicus excommunicatus, aut non admissus, properans ad aliam ciuitatem, admittatur sine commendatitijs literis, excommunicetur, & qui recipit, & qui recipitur, si vero prius excommunicatus erat, protelctur ipsa excommunicatio, vt mentienti & decipienti ecclesiam Dei.

Ait D. Paul. Nunquid egemus commendatitiis epistolis vt quidam? Ostendens commendatitias epistolas erga ecclesias in vsu tunc fuisse, ita vt aliqui egerent huiusmodi epistolis, nec aliter a fratribus reciperentur, quam traditis cōmendatitiis epistolis, aut iis cōmendationibus quæ eis æquiualerent, vt D. Paulus apud fratres Ierosolymis existentes receptus fuit verbali Barnabæ cōmendatione. Cæterum per vocabulum ἄδεκτος ego existimo eum intelligendum esse qui admissus non esset, id est, quem episcopus vnus nollet admittere. Si enim episcopus nolebat aliquem admittere, non magis eum poterat alius admittere, quam excommunicatum, & proinde sicut excommunicatum ab vno non potest alius in cōmunionem accipere, ita & ἄδεκτον vnius ecclesiæ, non poterat alia suscipere. Hic canon conuenit cum inf. 16. & 33. Ex quib. desumptus est Antioch. c. 2. & Nic. 5.

ιδ.

Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾷν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται, εἰ μή τις εὔλογος αἰτία ᾖ, τοῦτο βιαζομένη αὐτὸν ποιεῖν, ὡς πλεῖόν τι κέρδος δυναμένου αὐτοῦ τοῖς ἐκεῖσε λόγῳ εὐσεβείας συμβάλλεσθαι καὶ τοῦτο δὲ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων καὶ παρακλήσει μεγίστῃ.

Cap. 14.

Episcopo non licere alienam parœciam peruadere propria relicta, licet cogatur a plurimis, Nisi forte quis cum rationabili causa compellatur, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis plus lucri eis conferre in verbo pietatis. Et hoc non a semetipso pertentet, sed multorum Episcoporum iudicio & maxima supplicatione perficiat.

Antiocheni voluerunt Eusebium Cæsareensem ab Episcopatu Cæsareæ ad Archiepiscopatum Antiochenum promouere. Ipse vero mutare sedem suam recusabat, quod quum Antiocheni viderent, eum cogere volebant, & apud Constantinum magnum instanter eum vrgebant, ipse vero scripsit epistolam ad Constantinum sese ea de re excusans, & adducens pro causa suæ recusationis,

traditionem Apostolorum. Ex quo factum fuit, vt Constantinus magnus ad eum aliam epistolam scripserit, eum laudans eo quod vt ipse ex suis literis intellexerat, ab eo traditio Apostolica fuerat exacte obseruata, & iterum scripsit ad Antiochenos, eos monens, vt suam electionem promoueant secundum canones ecclesiasticos & traditiones Apostolorũ. Hæc inuenies in vita Conanst lib. 3. capitib. 59. & 60. Atque hoc quidem notatu dignum, quod canon 15. Nicenus idem constituit, citans regulam ecclesiasticam, quæ est hæc traditio, vt ex Eusebio apparet. Et Eusebius maluit causam suæ recusationis & excusationis desumere ex traditione Apostolica, quam ex canone Niceno.

ιε

Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν ἀπολείψας τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἑτέραν ἀπέλθῃ, καὶ παντελῶς μεταστὰς διατρίβει ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν, μάλιστα εἰ προσκαλουμένου αὐτὸν τοῦ ἐπισκόπου αὐτοῦ ἐπανελθεῖν οὐχ ὑπήκουσεν, ἐπιμένων τῇ ἀταξίᾳ· ὡς λαϊκὸς μέντοι ἐκεῖσε κοινωνείτω.

Cap. 15.

Si quis presbyter aut diaconus aut quilibet de numero clericorum, relinquens propriam paroeciam, pergat ad alienam, & omnino demigrans præter episcopi sui sententiam, in aliena paroecia commoretur, hunc vlterius ministrare prohibemus, maxime si eum prius aduocans episcopus redire contempserit, in sua peruersitate persiuerans. Verumtamen tanquam laicus ibi communicet.

Est hic canon correlarium superioris 14. & ex eo consequitur, nam si non liceat episcopo ab vna ecclesia ad aliam transmigrare, neque presbytero aut diacono licet præter sententiam episcopi. Et ideo Nic. c. 15. & 16. & Antioch idem confirmarunt.

ις

Εἰ δὲ ἐπίσκοπος, παρ᾽ ᾧ τυγχάνουσι, παρ᾽ οὐδὲν λογισάμενος τὴν κατ᾽ αὐτῶν ὁρισθεῖσαν ἀργίαν, δέξεται αὐτοὺς ὡς κληρικούς, ἀφοριζέσθω ὡς διδάσκαλος ἀταξίας.

Cap. 16.

Episcopus vero apud quem moratos esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans tanquam clericos forte susceperit, velut magister inquietudinis, communione priuetur.

Ex superioribus pendet, & confirmatur Nic. c. 16. & Antioch. 2. & 3.

ιζ

Ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ.

Cap. 17.

Qui post baptisma duabus nuptijs implicitus fuerit, aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus aut presbyter aut diaconus, aut prorsus ex catologo sacerdotali.

Episcopus debet esse vnius vxoris maritus, & ideo si duas vxores habeat, non potest ad clerum admitti, nec modo si duas habeat vxores, sed etiam si duas habuerit, ex eo tempore, quo Christianam sub baptismo professus est religionem. Nam si quis antequam Christianus esset alijs legibus viuens, quibus liceat ei duas habere vxores, & duas habeat, postea vero vnicam ex illis habens vxorem ad Christum conuertatur, doctrina baptismi non permittit, vt ei imputetur factum ante baptisma perpetratum sub alia professione in qua idem

dem actum pro licito habebatur. Ex hoc cap. desumptum est cap. 22. Conc. 2. Arelat. tempore Syluestri Papæ, & Valentini Conc. c. 1. de digamis & internuptarum maritis.

Ὁ χήραν λαβών, ἢ ἐκβεβλημένην, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ τῶν ἐπὶ σκηνῆς, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ.

Qui acceperit viduam, seu eiectam seu sociam, seu domesticam seu quæ scenis inseruiuerit, non potest esse episcopus, non presbyter, non diaconus, nec omnino de catalogo Sacerdotali.

Pendet hoc caput ex Leuitici 21. vbi eadem antiquis sacerdotibus prohibebantur.

Cæterum num hic canon ita intelligi queat, non bene perspectum habeo. Vt is qui acceperit viduam, viduam inquam, seu eiectam, seu lecti sociam concubinam, seu histrionem, nequeat episcopus esse. Id est, si quis duxerit eã quæ pro vidua habeatur, aut quam ipse pro vidua sumat, & interim sit eiecta, aut fuerit alicuius concubina, aut scenica. Hæc num ita sumi debeant, aut num de qualibet vidua loquatur canon, aliorum iudicio relinquo.

ιθ

Ὁ δύο ἀδελφὰς ἀγαγόμενος, ἢ ἀδελφιδῆν, οὐ δύναται εἶναι κληρικός.

Cap. 19.

Qui duas in coniugium sorores acceperit, vel ex fratre aut sorore neptem, clericus esse non potest.

Pendet ex Leuitic. 28.

κ

Κληρικὸς ἐγγύας διδοὺς καθαιρείσθω.

Cap. 20.

Clericus fideiussionibus inseruiens abijciatur.

Hæc ait Salom. prouerb. 6. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus, fac ergo quod dico fili mi, & temet ipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnũ oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis. Quia vero qui spopondit est tanquam auis in manu aucupis, ideo necessitas cogit eum ad omnia extrema recurrere, & vigilare rebus mundanis, cum deberet aduigilare populo Dei, & interdum pecuniã ecclesiæ loco suæ erogare, aut interdum latitare, & a propria domo propter æs alienum fugere & deserere oues suas, & in carcerem coniici, & similia incommoda propter quæ non est bonum vt fideiubeat.

κα

Εὐνοῦχος εἰ μὲν ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφῃρέθη τὰ ἀνδρῶα, ἢ οὕτως ἔφυ, καὶ ἔστιν ἄξιος, γινέσθω.

Cap. 21.

Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persequutione eius sint amputata virilia, vel si ita natus est et dignus est efficitur clericus.

κβ

Ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν μὴ γινέσθω κληρικός. αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός.

Cap. 22.

Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputauit sibi virilia, non fiat clericus, quia sui homicida est, & dei conditionis inimicus.

κγ Cap. 23.

Εἴ τις κληρικὸς ὢν ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσοι, καθαιρείσθω, φονεὺς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ.

Si quis clericus existens absciderit semetipsum, deponitor, quia sui ipsius homicida est.

Prohibebat litera legis Mosaicæ, ne eunuchi in synagogam ingrederentur. Deut 23. At spiritus legis apud Isaiam c.56.3. promissiones suas dirigit eunuchis custodientibus Sabbatha Dei dicente Propheta. Ne dicat Eunuchus; Ecce ego sum lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodiuerint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum. Et certe Daniel habuit locum in domo Dei, & ideo sub ipso tempore quo adhuc aliqui ex discipulis Christi viuebant Melito eunuchus fuit episcopus Sardiensis ecclesiæ. Euseb. lib. 5. cap. 22. Origines tamen iuuenili audacia & incircunspecto zelo motus seipsum abscidit, nimis literaliter sumens verba Domini de ijs qui se abscindunt propter regnum cœlorum. Math. 19 Quod a Demetrio episcopo fuit prius admirationi, at quum eum videret ad presbyterium ab alijs promotum, non illud probauit, vt testatur ibidem Eusebius. Videtur tunc eis accidisse ignorationem horum canonum, vt contigit alio tempore, vt Augustinus promoueretur ad episcopatum Hipponensem, viuente adhuc Valerio episcopo suo, nesciente Valerio aut Augustino id fuisse prohibitum Niceno Concilio, vt duo simul episcopi in vna ciuitate inuenirentur. Augustin. Tom. 2. in actis circa designationem *E*radij, num. 110. Cæterum ex his tribus decretis desumptum est. cap. 1 Nicenum. Idem in Arelat. 2. Conc. c. 7. tempore Syluestri Papæ decretum fuit.

κδ cap. 24.

Λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, ἀφοριζέσθω ἔτη τρία. ἐπίβουλος γάρ ἐστι τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς.

Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione priuetur, quia suæ vitæ insidiator exstitit.

Superiorum trium canonum & huius eadem est æquitas & idem fundamentum, & eadem moderationis antiquæ legis ratio, non enim omnino & in perpetuum ab ecclesia excludunt castratos vt antiqua lex, imo a synagoga nullum omnino excludunt *E*unuchum, nisi eum qui temere seipsum absciderit, nec eum in perpetuum arcent, sed a communione laica per triennium abstinere iubent. Non nimia seueritate homines constringunt Apostoli, nec eos nimia libertate perdere volunt.

κε cap. 25.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ ἐπιορκίᾳ ἢ κλοπῇ ἁλοὺς, καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό.

Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio, aut furto captus est, deponatur, Non tamen communione priuetur, dicit enim scriptura Non vindictam bis de eodem exiges

κϛ cap. 26.

Ὁμοίως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ τῇ αὐτῇ αἱρέσει ὑπακείσθωσαν.

Similiter & reliqui clerici, huic conditioni subiaceant.

Pendet hic canon ex 1. Tim. 3. vbi D. Paulus præcipit vt episcopus sit irreprehensibilis & pudicus, & ex 9. cap. Niceno, in quo dicitur, Quod irreprehensibile

sibile est, catholica defendit ecclesia,

κζ	cap. 27.
Τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους.	*Eorum qui innupti ad clerum ingressi sunt, precipimus, vt si velint nubant, lectores & cantores solos.*

Si quis mentem Christi cum mente Antichristi conferat, omnino contrarias inueniet, & ex diametro oppositas. Christi iugum leue est, Antichristi iugum est tyrannicum & intollerabile, Christi iugum est lex libertatis, Antichristi iugum est iugum vilis seruitutis. Erat antiqua lex iugum seruitutis, non tamen duræ aut vilis seruitutis, cum & ipse Ismael esset filius Abrahami etiam si ex ancilla natus esset, & proinde nobilior seruo empto. Itaque sicut differebant filij Ancillarum Abrahami qui cum legatis dimittuntur extra Isaachi hæreditatem, ab aliis mancipiis precio emptis, sic differt iugum legale a iugo antichristiano, quod est iugum vilis & duræ seruitutis. Hoc præ cæteris apparet in doctrina coelibatus. Nam Christus & Apostoli iugum libertatis tradiderunt, & legem generalem non minus ad clericos quam ad alios quoslibet spectantem melius est nubere quam vri. Antichristus vero leges coelibatus induxit, vt libertatem Christianorum clericorum opprimeret. Et quia in tota scriptura sacra non inueniebant aliquid quo possent istam doctrinam dæmoniorum, vt verbis Paulinis vtar statuere, hunc canonem arripuerunt & ad suum sensum detorquere conati sunt. Et quum non possent hanc doctrinam dæmoniorum ex verbis canonis depromere, ea mutare præsumpserunt, vt cum in Græco exemplari finale vocabulum sit μόνους quod latine significat solos ipsi verterunt tantùm & tantummodo & solommodo &c. at illud non est vertere sed peruertere. Nos vero in latina versione græcum, vt par est, contextum secuti sumus. Cum autem ita peruertissent verba canonis, facile erat sensum quoque in contrariam partem detorquere, & ita sensum colligebant vt clericis liceret nubere, videlicet lectoribus & cantoribus tantummodo, cum tamen sensus sit omnino contrarius & iubeat clericos si velint nubere, lectores vero & cantores solos esse, id est solitariam & a societate coniugali vitam degere separatam. Quod vero lectores & cantores innuptos esse volunt, non est quod velint eos toto vitæ curriculo innuptos esse, sed potius vt stimulum adijciant ad altiora quærenda & non hærendum in humili illo gradu. Nam lectores a functione illa humiliori ad Diaconatum aut presbyterium euehebantur, vt apparet ex Cypr. epist. 5. lib. 4. vbi Celerinum confessorem egregium designauit presbyterū, attamen propter eius iuuenilem ætatem eum prius ad tempus voluit esse lectorem. In illa igitur iuuenili ætate in qua lectoris officio fungebatur, non ei licebat vxorem ducere, nam etiam non expediebat propter lectoris munus exiguū ecclesiam onerare sūptibus viri & vxoris, id est totius familiæ: Itaque lectores & cantores in inferiori gradu positos & exiguum munus præstantes & in ipso adolescentiæ flore constitutos, nolebant permittere vt vxores ducerent, at quum ad altiorem gradum & maturiorem ætatem peruenissent, tunc liberum erat ducere vxorem, Ratio est anima legis. Hæc vero est huius decreti candida expositio, & institutionis ratio.

Quod vero variæ fuerint huius canonis explicationes apparet ex eo quod Romani sequuti sunt explicationem quæ nuptias videtur prohibere presbyteris, contra Gangrenses Patres Apostolicis traditionibus nitebantur ad expugnandam hæresim Eustathii, qui clericorum nuptias impugnabat tunc temporis, vt Papæ postea imitantes Eustathii impiam hæresim. Iam vero quæso quā nos interpretationem huius canonis inducemus, num Eustathianorum prohibentium nuptias, an vero patrum Gangrensium? Certe eorum quorum interpretatio conuenit cum Dei verbo. Nec tantum quæremus vt conueniat cum Dei verbo, sed etiam cum canone quem ego omnibus Christianis commendo tanquam arundinem auream, qua templum Dei & Ierusalem celestis mensurabitur, scilicet canon qui exhibetur. Apoc.15. qui est concentus harmonicus Mosis & Agni, nam illa harmonia erit imposterum, vt aurea regula ad cognoscendam veram Christi doctrinam. Nouimus vero sub antiqua lege fuisse permissum vt sacerdotes nuberent, sic & in nouo testamento & episcopi & diaconi debent esse vnius vxoris mariti. 1.Tim 3. Et etiam sup.can.6. At lex prohibebat ne sacerdos duceret viduam derelictam, aut meretricem. Leuitic.21. Idem quoque prohibet superior can. 18. Et quum lex permitteret nuptias sacerdotum Leuitic.21. Sicut D.Paul episcoporum & diaconorum 1.Tim 3. non potest hic canon contrariam sententiam proferre, quare tenenda est ea interpretatio quæ cum Dei verbo conuenit. Dices Dei verbum noui testamenti non expresse loqui de iis qui innupti ad clerum peruenerunt. Imo D.Paul. 1.Cor.9. testatur se posse ducere mulierem sororem sicut reliqui Apostoli & fratres Domini, & Cephas. Ex quo apparet, fratres Domini fuisse vxoratos, qui manebant Ierosolymis, scilicet Iacobum & Simonem Cleopham qui successiue fuerunt episcopi Ierosolymitani. Poterat ergo D. Paulus ducere vxorem, sicut illi consistentes Ierosylimis. Erat vero D. Paulus clericus, & in maiore gradu quam aut lector aut cantor, cum diceret se habere potestatem ducendi vxorem, ergo & aliis in heminenti gradu clericali constitutis eadem potestas erat. Et ex eo, iure desumitur vera & genuina explicatio huius canonis. Cum ergo Concilia quædam nuptias presbyterorum damnarint, vt Neocæsarense & Eliberinum, alia vero nuptias presbyterorum comprobarint, vt Gangrense, Arelatense. Secundum Concil. Valentin. Galliæ, quæritur quænam potius tenenda sunt, scilicet ea quæ cum Dei verbo conueniunt, & cum legitima huius canonis explicatione. Neocæsareense Concil. cap. 1. iubet deponi presbyteros qui vxores accipiunt, sicut & ipsos fornicarios. Hic vero Apostolicus canon etiam si in aliis casibus pœnas subiungat, tamen in prohibitione nuptiarum lectoris & cantoris nullam prorsus subiungit pœnam. Sed certe qui pœnas sacerdotibus vxoratis, irrogant, sibi pœnas in inferno & cruciatus emere student, & quod quærunt inuenient. In Ancyrano Concilio cap. 9. si diaconus cum ordinaretur protestatus esset se nolle sub cœlibatu viuere, poterat vti nuptiis, secus non licebat, erat subtilis laqueus, non tam perniciosus, vt subsequens Neocæsareense decretum at paulatim homines in deterius vergebant, atque eo dementiæ venerunt, vt Conc.3. Tolet.c.5. præceperit episcopis, vt vxores presbyterorū venderent. quid, magis ineptum, insulsum, barbarum, & impium fuit vnquam decretum sub oraculis pythonum & dæmonum antiquitus? Certe nihil. Iure ergo & merito

D.

D. Paul. doctrinam prohibentem nuptias vocat doctrinam dæmoniorum.

Restat vt de Paphnutio dicamus, qui in Concilio Niceno, contra eos qui legem cœlibatus inducere volebant, asseruit nuptias esse castitatem, & citauit antiquam traditionem, & ex verbis Sozomeni & Socratis videtur nuptias ex hoc canone impugnasse. Respondeo historicos testari eum fuisse in fauorem non in odium nuptiarum presbyterorum locutum, ex quo facile est colligere eum citasse verba huius canonis, sicut & 6. superioris. Et quum historici eius sententiam summatim referant, eam narrant ea ratione qua ipsi intelligunt, verba canonis. At ego non dubito quin ipse melius canonem hunc intelligeret quam historici qui eius sententiam referunt, quin potius cum ipse in fauorem nuptiarum loqueretur, non dubium est, quin eius sententia cum Concilio Gangrensi congrueret, ex quo Concilio ego malo deducere sententiam Paphnutii, quam ex historicis, qui ex sua opinione deducunt explicationem canonis a Paphnutio prolati. Nam & ipsi Patres Gangrenses erant contemporanei cum ipso Paphnutio, & in fauorem nuptiarum sicut ipse loquentes, & ex iisdem traditionibus Apostolicis, et erant ex iisdem patribus Nicenis.

κη

Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον τύπτοντα πιστοὺς ἁμαρτάνοντας, ἢ ἀπίστους ἀδικήσαντας, καὶ διὰ τοιούτων φοβεῖν ἐθέλοντα, καθαιρεῖσθαι προστάττομεν. οὐδαμοῦ γὰρ ὁ κύριος τοῦτο ἡμᾶς ἐδίδαξε. τοὐναντίον δὲ αὐτὸς τυπτόμενος οὐκ ἀντέτυπτε, λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει.

cap. 28.

Episcopum aut presbyterum aut diaconum, percutientem fideles delinquentes, aut infideles in iuriam inferentes, & per huiusmodi volentem metum incutere, deijci iubemus, quia nusquam nos hoc Dominus docuit, econtrario vero ipse dum percuteretur, non repercutiebat, cum conuiciis lacesseretur, conuicia non regerebat, cum pateretur non comminabatur.

Pendet hic Can. ex 1. *Tim.* 3. vbi dicit, Non percussor, similiter ex *Isa.* 53. & 1. *Pet.* 2. & 5.

κθ

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος καθαιρεθεὶς δικαίως ἐπὶ ἐγκλήμασι φανεροῖς τολμήσειεν ἅψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας, οὗτος παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας.

cap. 29.

Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus depositus iuste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab ecclesia penitus abscindatur.

Ex hoc canone desumptum est Antioch. cap. 4.

λ.

Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας αὐτὸν καὶ ἐκκοπτέσθω τῆς κοινωνίας παντάπασιν, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ πέτρου.

cap. 30.

Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem deijciatur & ipse & ordinator eius, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut simon Magus a me Petro.

Pendet hoc cap. ex *Act.* 8. & ex hoc desumptum est Chalcedon. Conc. cap. 2. Cæterum aliqui legunt a *Petro*, alij a me *Petro*, mihi perinde est, quia hoc nihil immutat in sensu Canonis, tu vtere tuo iudicio.

λα Cap. 31.

Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, διὰ αὐτῶν ἐγκρατὴς γένηται ἐκκλησίας, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες.

Si quis episcopus secularibus potestatibus vsus, ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur & segregentur omnes qui cum illo communicant.

Sunt qui voluerunt asserere hos canones non esse Apostolicos, & quum melioribus rationibus destituerentur, ad hoc reccurrere coacti sunt quod aiũt tempore Apostolorum nullos fuisse Principes qui Christianæ fauerent religioni, & ideo non esse verisimile Apostolos prohibuisse ambitionem Episcopatuum per Principes seculares. Qua in re valde inepte de Apostolis sentiunt, quasi nullam haberent prudentiam de futuris prospiciendi quod si prudentia politica non illud poterant, tamen facultate spiritus prophetici qua præuidebant conscientiam cauteriatam eorum qui nuptias & vsum ciborũ longo post tempore prohibituri erant, poterant futuris rebus prospicere. Et ex alia parte miror eorum temerarias assertiones, quod audeant negare principes fuisse tẽpore Apostolorum, qui christianis fauerint, et qui possent quosdãad Episcopatus promouere. Ego quoque miror eos opponere tã leues obiectiones, quibus ij qui qui in historia Euangelica & Ecclesiastica sunt versati possunt satisfacere. Nam ex actis Apostolorum 13. nouimus Sergium *Paulum* proconsulem in Christum credidisse, & historiæ Ecclesiasticæ narrant *Candacem* Reginam *Sabæ* ad Christianam religionẽ fuisse conuersam per Eunuchum quẽ *Philippus* baptizauit. Reginã etiam *Adiabenoũ* tempore famis quam *Agabus* prædixerat, misisse magnam frumenti copiam fratribus qui erant Ierosolymis, quinetiam *Agbarum* Regem *Edessenorum* in Christum viuentem credidisse, testatur *Euseb.* Cæterum hic Can. exponitur Antioch. canonib. 11, & 12. fuit autem editus non ad coarctandam authoritatem Principum, sed ad frẹnandam ambitionem Presbyterorum, qui illigitimo tramite neglecto metropolitano suo & comprouincialibus Episcopis vellent seipsos in Episcopatus intrudere. Etenim contra authoritatem Principum non loquitur Canon Apostolorum aut hic aut alius, et sub lege *Mosis* *Aaron* & eius filij a *Mose* præcipiente Deo fuerunt constituti, *Salomon* constituit Sacerdotem *Banaiam* sublato *Abiatharo*, & *Dauid* ordines *Leuitarum* distribuit 1. *Paralip.* 23.

λβ cap. 32.

Εἴ τις πρεσβύτερος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, χωρὶς συναγωγὴν καὶ θυσιαστήριον πήξει, μηδὲν κατεγνωκὼς τοῦ ἐπισκόπου ἐν εὐσεβείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ, καθαιρείσθω ὡς φίλαρχος. τύραννος γάρ ἐστιν. ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ, ὅσοι ἂν αὐτῷ προσθῶνται. οἱ δὲ λαϊκοὶ ἀφοριζέσθωσαν. ταῦτα δὲ μετὰ μίαν καὶ δευτέραν καὶ τρίτην παράκλησιν τοῦ ἐπισκόπου γινέσθω.

Si quis presbyter proprium contemnens episcopum, seorsim conuenticula egerit, & altare erexerit, quùm nihil habeat quo in episcopum suum in causa pietatis & iustitiæ animaduertat, deponatur, quasi principatum ambiens, tyrannus enim est. Consimiliter & reliqui clerici, qui cum eo coniunguntur: deponantur, laici vero segregentur. Hæc autem post vnam & alteram, ac tertiam episcopi admonitionem fiant.

Patres Gangrenses qui ex Nicenis erant profitentur se exponere Ecclesiasticas sanctiones quas vocant traditiones Apostolicas, & interim *6.* cap. eos damnant qui contra Ecclesiasticas sanctiones conuenticula seorsim celebrant

absque consensu Episcopi, ita vt ex hoc Can. 6. c. Gang. Conc. desumptum sit, sicut etiam Antioch. cap. 6. & cap. 8. Conc. 2. Carthag. hoc dicitur fieri contra Ecclesiasticam fidem & disciplinam.

λγ

Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ὑπὸ ἐπισκόπου γένηται ἀφωρισμένος, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ' ἑτέρου δέχεσθαι, ἀλλ' ἢ παρὰ τοῦ ἀφορίσαντος αὐτόν, εἰ μὴ ἂν κατὰ συγκυρίαν τελευτήσῃ ὁ ἀφορίσας αὐτὸν ἐπίσκοπος.

cap. 33.

Si quis presbyter aut diaconus ab episcopo suo segregetur, hunc non licere ab alio recipi, sed ab ipso qui eum sequestrauerat, nisi forsitan obierit episcopus qui eum segregauerat.

Si quis lapsus esset, eum Episcopus segregabat, vt in *Origene* & similibus legitur, neque eos poterat alius in communionem Episcopus recipere sub ipso temporis spatio quod eis erat præstitutũ, nisi decedente Episcopo qui segregauerat. Hinc fit vt in Conc. Nic. cap. 8. dogmata Apostolorum præcipiantur scriptis approbanda Catharis in Ecclesiam Catholicam redeuntibus, quæ lapsis tempus resipiscentiæ præscribunt, vt hic Canõ præscriptum tẽpus supponit in quo si episcopus obierit, alius ei succedens possit ad communionem recipere ipsos lapsos segregatos.

λδ

Μηδένα τῶν ξένων ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι. καὶ ἐπιφερομένων αὐτῶν ἀνακρινέσθωσαν· καὶ εἰ μὲν ὦσι κήρυκες τῆς εὐσεβείας, προσδεχέσθωσαν, εἰ δὲ μήγε, τὴν χρείαν αὐτοῖς ἐπιχορηγήσαντες, εἰς κοινωνίαν αὐτοὺς μὴ προσδέξησθε. πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεται.

cap. 34.

Nullus episcoporum peregrinorum aut presbyterorum aut diaconorum, sine commendatitijs suscipiatur epistolis, & cum scripta detulerint, discutiantur attentius, & ita suscipiantur, si prædicatores veritatis extiterint, sin minus, vbi necessaria ipsis suppeditaueritis, in communionem eos non admittite, multa enim fiunt per subreptionem.

λε

Τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης. ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτῆς χώραις. Ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται, καὶ δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι.

cap. 35.

Cuiusque gentis episcopos nosse oportet quis inter eos primus sit, & eum quasi caput æstimare, & nihil amplius præter eius conscientiam gerere, nisi illa sola quæ ad eorum parœcias spectant, & loca eis subdita, sed nec ille sine omnium sententia aliquid peragat, sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Dominum in sancto spiritu.

Præcipit hic Canon vt omnium gentium Episcopi sciant quis inter ipsos primus sit, sic ergo Episcopi qui in *Palæstina Iudæa* erant nosse debebant *Iacobum* fratrem Domini inter eos primum esse. Et qui in Antiochena prouincia erant, *Euodium* agnoscere poterant vt primum Episcopum, et qui in *Creta* erant Episcopi *Titum* primum agnoscere oportebat, cui totam *Cretæ* ecclesiam commisit D. *Paulus*, et Episcopi quos salutat D. *Paulus* in epistola ad *Philippenses*, *Philippensem* Episcopum vt primatem agnoscere conueniebat, et qui in *Achaia* erant, *Corinthiorum* Episcopum, et qui circa *Mediolanum* erant *Barnabam Mediolanensem* Episcopum, sic *Galliæ* Episcopi *Lugdunensẽ* agnouerunt,

vt apparet ex historia *Euseb.* de *Irenæo* qui *Gallijs* præerat Ægyptij et Libyægyptii et Pentapolitani consimili ratione *Alexandrinum* agnouerunt, septem Ecclesiæ *Asiæ* quibus D. *Johan.* scribit, *Ephesinum* primum agnoscebant, sic & *Itali* Romanum vt suum primatem agnouerunt, at ipse dum ambiret omnibus præesse omnibus obfuit. Ex hoc Can. desumpa est consuetudo quæ explicatur 6. cap. Niceno, vt patet ex 9. cap. Antioch. Conc. & ex decreto Concilij Ephesini de Episcopis *Cypri* et Episcoporum *Cypri* suggestionibus.

λϛ

Ἐπίσκοποι μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν ἑαυτοῦ ὅρων χειροτονίας ποιεῖσθαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας πόλεις καὶ χώρας. εἰ δὲ ἐλεγχθείη τοῦτο πεποιηκὼς παρὰ τὴν τῶν κατεχόντων τὰς χώρας γνώμην καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ οὓς ἐχειροτόνησεν.

Cap. 36.

Episcopum non audere extra terminos suos ordinationes facere in ciuitatibus & villis, quæ illi subiecta non sunt. si vero conuictus fuerit, hoc fecisse præter sententiam eorum ad quos ciuitates & loca pertinent, deponitor et ipse & qui eum ordinauit.

Non creatus fuit *Titus Cretensis* Episcopus vt ordinaret in *Cypro* aut *Epheso* aut *Corintho*, sed in *Creta*, sic & *Timotheus* non potuit ordinare in *Cretensi* Insula sed in prouincia *Asiæ* cuius Metropolis erat *Ephesus*. Cæterum *Athanasius* olim fuit quidem Orthodoxus quoad fidem *Nicenam*, at multa crimina ei obijciebantur ab Orientalibus, de quibus Romani ad quos recurrerat eum omni arte & diligentia adhibita excusare conantur. Contra vero eos de hæresi accusare qui ei aduersabātur, & multas producunt verisimiles rationes. at alia quædam egit indigna Episcopo, vt quod literas Imperatoris Occidētis obtinuerit denunciantes bellum contra proprium Imperatorem & propriam patriam, nisi eum restituerent, *Socrat.* Lib. 2. cap. 18. quod erat contra sup. cap. 31. Et in aliena paræcia ordinare præsumpsit 1. vol. Concil. post Conc. Ierosolym. in epist. ad diuersos pro *Athanasio*, quod erat contra hunc Canonem. Superstitiosam doctrinam etiam de ossibus mortuorum docuit, vt apparet in *Niceno* Concilio secundo.

λζ

Εἴ τις χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος μὴ καταδέχοιτο τὴν λειτουργίαν καὶ τὴν φροντίδα τοῦ λαοῦ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ, τοῦτον ἀφωρισμένον τυγχάνειν, ἕως ἂν καταδέξηται, ὡσαύτως καὶ πρεσβύτερος, καὶ διάκονος. εἰ δὲ μὴ δεχθείη, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, ἀλλὰ παρὰ τὴν τοῦ λαοῦ μοχθηρίαν, αὐτὸς μενέτω ἐπίσκοπος, ὁ δὲ κλῆρος τῆς πόλεως ἀφοριζέσθω ὅτι τοιούτου λαοῦ ἀνυποτάκτου παιδευταὶ οὐκ ἐγένοντο.

Cap. 27.

Si quis ordinatus Episcopus ministerium & curam populi sibi commissam non susceperit, hic a communione seiungitor donec tandem suscipiat similiter presbyter & diaconus. So vero non præ voluntate sua, sed præ populi morositate, ipse episcopus maneat, clerus vero ciuitatis, a communione segregator eo quod populi non subditi correctores non fuerint.

Hoc intellige de his qui Clero se deuouerunt, aut qui impensis alicuius ecclesiæ ad illum finem fuerunt educati. Nemo enim inuitus ad Clerum adduci potest, at si quis clericalem vocationem delegerit, cogi potest, ei ecclesiæ aut muneri inseruire, cui iam dedicatus erat, iuxta huius can. sententiam.

λη

Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλως τὰ δόγ-

Cap. 38.

Bis in anno Episcoporum concilia celebrentur, vt inter se inuicem dogmata pietatis.

ματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διακρινέτωσαν, ἅπαξ μὲν τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ.

pietatis explorent, & incidentes ecclesiasticas contradictiones dirimant, semel quidem quarta septimana pentecostes, secundo vero duodecimo die mensis hyperberetai.

Iuxta hunc Can. Nic. 5. præcipit vt bis in anno Concilia celebrentur, sicut & Antioch. cap. 20. Et in re quidem consentiunt, at in tempore aliquantulũ variant, nam primum Concilium hic mandatur quarta septimana Pentecostes, in Concilio vero Niceno ante quadragesimam Paschatis, vt sublatis omnibus dissidijs pascha purissimum celebretur. At Concilium Antioch. resumit iuxta hunc canonem tempus quartæ septimanæ Paschatis. Secundm vero Conc. 5. Can. Nic. circa tempus autumni generaliter statuitur. Antiochenum vero decimo quinto die mensis hyperberetæi, tribus tantum diebus varians ab hoc canone. Hæc vero temporis exigua differentia non multum importat, quum in fundamento consentiant. In Cabilonensi Conc. cap. 1. hic Canon citatur nomine Priscorum canonum.

λθ

Πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα, καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς Θεοῦ ἐφορῶντος. Μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ σφετερίζεσθαί τι ἐξ αὐτῶν, ἢ συγγενέσιν ἰδίοις τὰ τοῦ Θεοῦ χαρίζεσθαι. εἰ δὲ πένητες εἶεν, ἐπιχορηγείτω ὡς πένησιν, ἀλλὰ μὴ προφάσει τούτων τὰ τῆς ἐκκλησίας ἀπεμπολείτω.

Cap. 39.

Omnium ecclesiasticorum negotiorum curam habeat Episcopus, & ea vt Deo spectante dispenset. Nec ei liceat ex his aliquid vt proprium sibi assumere, aut cognatis suis ea quæ Dei sunt condonare: si vero pauperes sint, tanquam pauperibus elargiatur, at prætextu horum, ea quæ ecclesiæ sunt ne diuendat.

μ

Οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτοῦ λόγον ἀπαιτηθησόμενος. Ἔστω φανερὰ τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου πράγματα (εἴγε καὶ ἴδια ἔχει) καὶ φανερὰ τὰ κυριακά, ἵνα ἐξουσίαν ἔχῃ τῶν ἰδίων τελευτῶν ὁ ἐπίσκοπος οἷς βούλεται, καὶ ὡς βούλεται, καταλεῖψαι. καὶ μὴ προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων διαπίπτειν τὰ τοῦ ἐπισκόπου, ἔσθ᾽ ὅτε γυναῖκα καὶ παῖδας κεκτημένου, ἢ συγγενεῖς, ἢ οἰκέτας. δίκαιον γὰρ τοῦτο παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, τὸ μήτε τὴν ἐκκλησίαν ζημίαν τινὰ ὑπομένειν ἀγνοίᾳ τῶν τοῦ ἐπισκόπου πραγμάτων, μήτε τὸν ἐπίσκοπον ἢ τοὺς αὐτοῦ συγγενεῖς προφάσει τῆς ἐκκλησίας πημαίνεσθαι, ἢ καὶ εἰς πράγματα ἐμπίπτειν τοὺς αὐτῷ διαφέροντας, καὶ τὸν αὐτοῦ θάνατον δυσφημίαις περιβάλλεσθαι.

Cap. 40.

Presbyteri & diaconi præter episcopi sententiam nihil peragant. Ipsi enim committitur populus Domini, et pro animabus ratio ab ipsis repetitur. Manifestæ sint res episcopi si modo & priuatas habeat, manifestæ sint etiam res dominicæ vt potestatem habeat de proprijs moriens episcopus, sicut voluerit & quibus voluerit derelinquere. Nec sub prætextu ecclesiasticarum rerum, ea quæ sunt episcopi decidant, fortasse enim aut vxorẽ habet, aut filios aut propinquos, aut domesticos. Et iustum est corã Deo & hominibus, vt nec ecclesia detrimentũ patiatur, ignorantia rerum episcopi, nec episcopus vel eius propinqui sub obtentu ecclesiæ proscribantur, & in causas incidant qui ad eum pertinent, morsque eius male audiat.

μα

Προστάσσομεν ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς

cap. 41.

Præcipimus vt in potestate sua episcopus

ἐκκλησίας πραγμάτων. εἰ γὰρ τὰς τιμίας τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς αὐτῷ πιστευτέον, πολλῷ ἂν μᾶλλον δέοι ἐπὶ τῶν χρημάτων ἐντέλλεσθαι, ὥστε κατὰ τὴν αὐτοῦ ἐξουσίαν πάντα διοικεῖσθαι, καὶ τοῖς δεομένοις διὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ διακόνων ἐπιχορηγεῖσθαι μετὰ φόβου τοῦ Θεοῦ καὶ πάσης εὐλαβείας. μεταλαμβάνειν δὲ καὶ αὐτὸν τῶν δεόντων (εἴγε δέοιτο) εἰς τὰς ἀναγκαίας αὐτοῦ χρείας, καὶ τῶν ἐπιξενουμένων ἀδελφῶν ὡς κατὰ μηδένα τρόπον αὐτοὺς ὑστερεῖσθαι. ὁ γὰρ νόμος τοῦ Θεοῦ διετάξατο τοὺς τῷ θυσιαστηρίῳ ὑπηρετοῦντας ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου τρέφεσθαι. ἐπειπὲρ οὐδὲ στρατιώτης ποτὲ ἰδίοις ὀψωνίοις ὅπλα κατὰ πολεμίων ἐπιφέρεται.

pus ecclesiæ res habeat, si enim preciosæ hominum animæ ei sunt creditæ multo magis oportet eum pecuniarum curam gerere. ita vt ex eius authoritate omnia dispensentur & indigentibus per presbyteros & diaconos suppeditentur cum dei timore et omni sollicitudine, ex his autem quibus indiget, (si tamē egeat) ad suos necessarios vsus & peregrinorum fratrum, participet, ita vt nulla re vllo modo egeat. Lex enim dei præcipit, vt qui altari ministrant, de altari nutriantur, quia nec miles vnquam proprijs stipendijs contra hostes arma sustulit.

Nituntur hi tres Canones ijsdem fundamentis quibus 5. Can. sup. Et ex his desumpti sunt Can. 7. & 8. Gangrens. & 24. & 25. Antioch. & Aurel. Conc. 1. cap. 16. & 17. vbi hi Canones citantur nomine Antiquorum Can.

μβ

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος κύβοις σχολάζων καὶ μέθαις: ἢ παυσάσθω ἢ καθαιρείσθω.

cap. 42.

Episcopus aut presbyter aut diaconus aleæ atque ebrietati indulgens aut desinat aut deponatur.

μγ

ὑποδιάκονος ἢ ψάλτης ἢ ἀναγνώστης τὰ ὅμοια ποιῶν ἢ παυσάσθω ἢ ἀφοριζέσθω. ὡσαύτως καὶ οἱ λαϊκοί.

cap. 43.

Subdiaconus aut cantor aut lector similia faciens, aut desinat aut communione priuetur, similiter etiam laici.

Negant aliqui Subdiaconos tempore Apostolorum fuisse, Cur negant? quia eorum ordinatio in nouo Testamento non celebratur. At multæ res etiam grauissimæ in nouo Testamento omittuntur, vt multa Christi & Apostolorum miracula. Nonne etiam hoc mirum est, quod tres Euangelistæ omiserint missionem septuaginta discipulorum, quam vnus D. *Lucas* celebrauit? Quis etiam eorum nomina scripsit? et tamen ipsi non erant minoris precij quam septem Diaconi quorum nomina exprimuntur. Lectorum & Cantorum ordo omittitur, tamen nemo iure negare potest quin & Lectores & Cantores essent tempore Apostolorum, & quin lectores qui erant tempore *Cypriani* ordinem ab Apostolorum traditione deprompserint. Erat *Cyprianus Irenæo* contemporaneus, qui viderat *Polycarpum* virum Apostolicum, qui *Celerinum* confessorem adolescentem lectorem ordinauit, & Presbyterum futurum designauit lib. 4. epist. 5. Idem lib. 3. epist. 5. mentionem facit Subdiaconorum, sic nouimus tunc fuisse lectores & subdiaconos. At si quis quærat num tunc cœperint, plane respondebimus non tunc cœpisse, imo magis rationi consentaneum esse vt sint ex traditione Apostolica quam ex licentia Episcoporum, quorum studium erat traditioni Apostolicæ indiuulse adhærere iuxta *Ignatij* monitionem apud *Eusebium*.

μδ

Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τόκους ἀπαιτῶν τοὺς δανειζομένους, ἢ παυσάσθω ἢ καθαιρείσθω.

cap. 44.

Episcopus aut presbyter aut diaconus vsuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe deponatur.

Idem

Idem *Nic.* c. 17. *Arelat.* Conc. c. 12. & *Arelat.* 2. Conc. c. 14. & *Carthag.* 1. c. 13.

με

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος αἱρετικοῖς συνευξάμενος μόνον, ἀφοριζέσθω. εἰ δὲ καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς ὡς κληρικοῖς ἐνεργῆσαί τι, καθαιρείσθω.

cap. 45.

Episcopus, presbyter aut diaconus, qui cum hæreticis orauerit, tantummodo communione priuetur, si vero tanquam clericis eis aliquid agere permiserit, deponatur.

Nititur hic canon eodem fundamento, quo sup. c. 12. Hæreticum post primam aut secundam correptionem deuita Tit. 3. 10. Euseb. lib. 3. c. 25. aiunt D. Ioannem balnea ingressurum, & audito quod Cerinthus intus esset dixisse, fugiamus, ne domus in qua Cerinthus hæreticus, veritatis hostis est corruat.

Hic Canon etiam est fundamentum consimilis can. 2. Antioch.

μϛ

Ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξάμενον βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν. Τίς γὰρ συμφώνησις τῷ Χριστοῦ πρὸς Βελίαρ; ἢ τίς μερὶς πιστοῦ μετὰ ἀπίστου.

cap. 46.

Episcopum aut presbyterum, hæreticorum baptisma aut sacrificiũ suscipientem deponi præcipimus. Quæ etenim consonantia Christi cum Beliale, aut quæ portio fidelis cum infideli?

μζ

Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν κατ' ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν, ἐὰν μὴ βαπτίσῃ, καθαιρείσθω ὡς γελῶν τὸν σταυρὸν καὶ τὸν τοῦ κυρίου θάνατον, καὶ μὴ διακρίνων ἱερέας τῶν ψευδιερέων.

cap. 47.

Episcopus aut presbyter qui eum qui secundũ veritatem habuerit baptismũ denuo baptizauerit, aut pollutum ab impijs non baptizauerit deponatur, vt irridens crucem & mortem Domini, nec discernens sacerdotes a falsis sacerdotibus.

In Concilio *Carthaginensi* tempore *Cypriani* habito, *Aphricani* decreuerunt hæreticos esse baptizandos. Contra *Romani* ex antiqua regula statuerunt post abiectionem praui, & confessionem recti dogmatis sola manus impositione purgandos, vt testatur *Euseb.* lib. 7. c. 2. At *Cyprianus* in epist. ad *Pompeium* contra epistolam *Stephani* Papæ, ait *Stephanum* a quacunque hæresi venientẽ baptizari vetuisse. Ex quo apparet *Romanos* inepte exposuisse antiquam regulam desumptam ex *Act.* 8, 17. vbi manus imponuntur ijs qui baptizati erant legitimo baptismo Christi, contra vero *Act.* 19. baptizantur denuo ij qui baptismo *Iohan* erãt baptizati, cuius baptisma melius erat quam hæreticorũ, impietate & blasphemijs refertũ. *Euseb.* lib. 6. cap. 8. Itaq; præstat distinctione vti, vt secundum 17. cap. *Nic. Paulianistæ* baptizentur, ac in summa omnes qui in Trinitate non fuerunt baptizati, & per baptisma de Trinitate edocti ex Arelat. 1. Conc. cap. 8, In Conc. 2. Arc. cap. 16. *Photiniani* & *Paulianistæ* baptizantur. & ibid. cap. 17. Hæretici qui in Trinitate baptizati sunt, cum Chrismate & manus impositione admittuntur.

μη

Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβαλὼν, ἑτέραν λάβῃ ἢ παρ' ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω.

cap. 48.

Si quis laicus uxorem propriam pellens, aliam accipiat, aut ab alio dimissam communione priuetur.

Pendet hic Can. ex *Mat.* 5. 32. & 19. 9. *Marc.* 10. 11. *Luc.* 16. 18. & 1. *Cor.* 7. 10.
Ex hoc Can. pendet Gangrens. cap. 1. & 10. & 14.

Cap. 49

μθ

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν, μὴ βαπτίσῃ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς παρακλήτους, καθαιρείσθω.

cap. 49.

Si quis episcopus aut presbyter iuxta Domini praeceptum non baptizauerit, in nomine patris & filij & spiritus sancti, sed in tribus principio carentibus, aut tribus filijs, aut tribus paracletis, abijciatur.

ν

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλ' ἓν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω. οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος. Εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε, ἀλλὰ πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

cap. 50.

Si quis episcopus aut presbyter non tres immersiones in vna initiatione, sed vnam duntaxat, quae in mortem Domini detur, peregerit, deponatur. Non enim dixit Dominus. In mortem meam baptizate, sed Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris & filij & spiritus sancti.

Ait *Sozomenus* lib. 6. cap. 26. *Eunomium Cyzicensem* Episcopum haereticum *Arrianum* primum fuisse qui traditionem de triplici immersione in baptismo, a tempore Apostolorum obseruatam, ausus est violare, & asserere in morte Christi, non in Trinitate nos esse baptizandos. Traditio illa sup. & hoc Canone continetur.

D. *August.* Tom. 10. de tempore Serm. 91. Quando in salutari lauacro tertió Christiani merguntur, tunc Ægyptij, id est originalia peccata, vel actualia crimina, quasi in rubro mari sepeliuntur. Et ibid. Serm. 201. Hoc etiam (mysterium Trinitatis) in Sacramento baptismatis demonstratur, dum tertia vice homo mergitur, vt nouus surgere mereatur.

De Symbolo Apostolorum. cap. 4.

Quia coepimus tractare de Apostolicis traditionibus, inter quas celeberrima est Symbolum Apostolicum. Non id iure possumus praeterire, Itaque illud subsequenter inter Apostolicas traditiones constituemus.

Πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, Καὶ εἰς Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ κύριον ἡμῶν συλληφθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, Γεννηθέντα ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου, παθόντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, σταυρωθέντα, θανόντα, καὶ ταφέντα, Κατελθόντα εἰς ᾅδου, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν ἀνελθόντα εἰς οὐρανοὺς, καθεζόμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς παντοκράτορος, ὅθεν μέλλει ἔρχεσθαι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Πιστεύω εἰς πνεῦμα ἅγιον, Πιστεύω τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν καθολικὴν, ἁγίων κοινωνίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν σαρκὸς ἀνάστασιν, ζωὴν αἰώνιον, Ἀμήν.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem creatorem caeli & terrae, & in Iesũ Christum filium eius vnicum Dominum nostrũ qui conceptus est ex spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis ascendit in caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Vnde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Credo in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, communionem in quam sanctorum, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, vitam aeternam.

His

Hic de Christi conceptione ex Spiritu Sancto aliquid dicam, quia video hunc articulum à quibusdam vix satis exacte intelligi, ex quo fit vt dissidia in ijs quæ personam Christi spectant foueantur. Nosse igitur oportet Logon esse Dei filium qui sese α & ω profitetur, primum & nouissimum, principium & finem & omnipotentem, vt apparet ex Apoc. 1. Ipse est Logos Deus et Dei filius qui in principio erat Deus apud Deum. In principio quidem absolute posito, non relatiue, vt sit principium mundi aut temporis, sed in principio quum primum Deus fuit, ab æterno enim fuit & semper fuit, quare hoc principium semper fuit principium & nunquam habuit principium, sed fuit prius omni principio. Erat logos Dei sapientia vt testatur D. *Paulus*, & hæc sapientia vt testatur *Salomo* erat a Deo genita antequam montes crearentur, id est ante omnia & ab æterno. Hinc fit vt Doctores exponant locum *Danidis* hodie genui te, id est ab æterno genui te. Itaque ab æterno fuit logos, & in illo erat vita lux hominum. Et in eo erat virtus Diuina sicut & in patre, & ab vtroque procedens quæ est virtus altissimi. Hic Logos cum humanam vellet assumere naturam, virginem purissimam & sanctissimam sibi delegit, quam virtute sua inumbrauit, vt ex illa virtute Spiritus Sancti conciperetur homo. Non fuit ex semine corruptibili homo ille conceptus: sed ex virtute Logi. Creata fuit Christi humanitas, vt aliqui Doctores eam creaturam vocant, at non simpliciter creata, sed ex Spiritu Sancto concepta. Sunt qui dicunt ideo humanitatem Christi ex Spiritu Sancto conceptam esse, vt esset immunis peccato originali. Imo ex virgine purissima nata, vt esset immunis originali peccato, at ideo concepta ex Spiritu Sancto vt esset originaliter plena eius virtute. Fuit Christi humanitas ex *Mariæ* substantia desumpta, fuit *Eua* Creata ex substantia innocentis *Adami*. Quænam creatio est potior? Christi humanitatis. Quare? quia non fuit simpliciter creata ex substantia *Mariæ*, vt *Eua* ex substantia *Adami*, & multo minus ex corrupto semine viri post peccatum *Adami*, sed fuit concepta ex Spiritu Sancto. Hinc multa præclara consequuntur. Imprimis, quod in conceptione Christi duo concurrerint, virtus cœlestis Logi, & terrena substantia *Mariæ*. Nouimus fidelibus dari Spiritum Sanctum, at hoc fit per regenerationem etiamsi plenus quis fuerit Spiritu Sancto ab ipso matris vtero vt D. *Iohannes* Baptista, qui ex illa virtute in vtero matris gestiens salutabat aduentum heri sui. Nos inquam Spiritus Sanctus regenuit, Christum vero non regenuit, sed genuit. Et nemo gignitur quin habeat secum congenitam patris virtutem. Hinc fit vt virtus Spiritus Sancti originaliter impleuerit humanitatem Christi vt radij solares implent corpus solare. Nec potes separare humanitatem Christi ab illa virtute, magis quam solem suis radijs spoliare, est enim ei naturalis & originalis & formalis. Hinc fit vt facies Christi glorificata vt sol luceat. Fideles habent eundem Spiritum deriuatiue, & ex charismate & dono per regenerationem, ita vt absque eo esse possint. At humanam naturam Christi si separes à virtute illa ex qua concepta est, eam destruis, remanet enim substantia hominis, sed non hominis concepti ex Spiritu Sancto. Scias ergo si de corpore ipso Christi loquaris, plenum esse Spiritu Sancto, non vt vas est plenum aqua, oleo aut vino: sed vt sol est plenus suis radijs. Et illa virtus originaliter replens & complens huma-

nitatem Christi, cum sit virtus Log. humanitatem cum Logo nexu ἀδιαιρέτω adunat, ita vt nulla ratione separari queant. Quinetiam efficit vt caro Christi concepta ex illa virtute Spiritus Sancti viuifica & ipsâ repleta, sit etiam viuifica. Hinc dicit Dominus carnem suam viuificare, & denuo Spiritum viuificare, carnem vero nihil proficere. Nihil enim proficit nuda, at ideo viuificat, quia vi & natura conceptionis suæ non potest non esse plena charismate viuifico Hinc fit vt sicut sol vbique suam virtutem deffundit, vt suos visibiles radios. & nescio quam inuisibilem efficaciam quæ maria secundum lunæ periodos voluit & reuoluit, & alia innumera præstat: Ita & facies Christi ex hac conceptione fit plena virtute viuifica, quæ vbique diffunditur, nec minus penetrat, quam efficacia solis ex quo facies illa soli comparatur *Matth.* 17. Apoc. 1. & 10. Hinc fiebat vt virtus ex Christo exiret quæ mulierem hæmorrousam sanauit, dicente Domino. Tetigit me aliquis, ego enim noui de me virtutem exijsse. *Luc.* 8. 46. Sic omnis turba quærebat eum tangere quia virtutes exibant ex illo & sanabat omnes. *Luc.* 6. 19. Ita etiam gratia viuifica & virtus carnis Christi ex ipsius carne exit, & ad vitam æternam nos nutrit. Si quæras quomodo comedamus carnem Christi, aliqui respondebunt per fidem, & ea ratione existimant se omnibus satisfecisse. At nunquam satis exactè exponunt reciprocam actionem carnis Christi ex qua ad nos virtus peruenit quæ nos nutrit ad vitam æternam. Itaque sicut oculus noster ad solem peruenit & virtus solis ad nos vt nos calefaciat; ita & fides nostra ad Christi carnem peruenit quæ nos nutrit ad vitam æternam sua virtute, at virtus illa non est simplex efficacia, etiam si efficax & efficacia sit, quoniam simplex efficacia fouet & non nutrit, at virtus carnis Christi quæ exit vt nos viuificet, non solum fouet sed nutrit, substantia tamen non est, quoniam non fit substantiæ transfusio. Ita habes ex mysterio huius conceptionis exactiorem cognitionem nutritionis carnis Christi, quam eam inuenies apud eos qui de cœna Domini & persona Christi tot Schismata mouerunt & fouerunt.

Si qui de Apostolorum canonibus dubitent, non est mirum, cum de ipso Symbolo Apostolorum, & de descensu ad inferos ambigere audeant. Mirum tamen nunc nouos authores de eo disquirere, antiquos vero non dubitasse. Nam *Cyprianus* absque vlla prorsus difficultate hoc Symbolum Apostolis tribuit, & post illum D. *Augustinus*, & vterque descensum Christi ad inferos celebrat. Quod si qui dicant in quibusdam Ecclesijs illum articulum prætermitum fuisse, quæso quotnam Ecclesiæ ostendentur qui prætermerint? vix vna, at innumeræ hanc retinuerunt traditionem, cum alijs, eamque vt apostolicam perpetuo habuerunt. Habemus quoque testimonium *Eusebij* Pamphili, qui in Historia *Agbari* Regis Edessenorum testatur *Thaddæum* Apostolum inter cætera coram *Agbaro*, & alijs prædicasse Christi descensum ad Inferos. Et ipse *Eusebius* Episcopus & grauissimus Doctor & author Historiæ Ecclesiasticæ testatur se hæc legisse in antiquis Monumentis ciuitatis *Edessæ*. Neque est quod quispiam obijciat fabulam, imaginis Christi ab *Agbaro* asseruatæ, vt eam tribuat *Eusebio*, ei hoc in vanitatem imputans. Nam *Eusebius* puram historiam *Agbari* tradit, non illam fabulam, quam aliqui ei falso imponunt. At ea quæ tradidit *Eusebius* vt de prædicatione *Thaddæi Edessæ*, & conuersione *Agbari* ad

Christum,

Christum, nemo maturo iudicio præditus impugnabit.

Hunc Christi descensum ad Inferos docet etiam Apocalypsis, c. 20. vbi proponit Angelum de cœlo descendentem, per quem denotat Christum. Nemo enim de cœlo descendit, nisi is qui in cœlum ascendit, filius hominis qui est in cœlo. Ait hunc Angelum de cælo descendentem habuisse clauem abyssi, id est Inferni, & accepisse Satanam serpentem antiquum & ligasse cum pro mille annis.

D. *Petrus* quoque tradit descensum Christi ad Inferos prima Epistola sua. cap. 3. 18. quæ quia aliquam præ se fert difficultatem, ideo eam exactius exponere conabimur. Ita loquitur D. *Petrus* quoniam Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, vt nos Deo adducat. Mortificatus quidem carne, viuificatus spiritu, in quo etiam spiritibus qui erant in custodia profectus prædicauit, incredulis olim, cum semel expectaret Dei longanimitas in diebus *Noe*, præparatâ arcâ, in qua paucæ (octo scilicet) animæ per aquam saluæ fuerunt.

Aliqui magni nominis Doctores locum ita exponunt, vt Christum mortificatum in carne exponant, id est in humana natura. viuificatum spiritu, id est per Diuinitatem seu diuinum spiritum, in quo prædicauerat tempore *Noe* spiritibus qui nunc sunt in custodia. At hoc est nimis crasse rem sacrã contrectare, & contradictionem loco expositionis subdere. Nos vt commodius exponamus, græco contextui insistemus sũptis his verbis *θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι*. Mortificatus inquit carne, viuificatus vero spiritu. Hoc vt intelligas distinguere debes ab humana Christi natura Diuinam, & humanam naturam spectes in carne mortali, & spiritu humano immortali, spiritus enim est anima rationalis, iuxta locum D. *Pauli*, Nemo nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine. Et iterum spiritus Dei coattestatur nostro spiritui quod sumus filij Dei, ex quo etiam animæ defunctorum hoc loco sunt spiritus qui in custodia. Itaque cum ait Christum fuisse mortificatum carne, intellige Christum quatenus homo est, mortuum esse secundum corpus, non autem secundum spiritum humanum immortalem, quin potius in eo viuificatus est, & ideo ait viuificatus spiritu, quo intelligit spiritum humanum Christi fuisse viuificatum. Quomodo viuificari potuit spiritus immortalis? Quia Christi humana natura susceperat redemptionem peccatorum hominum, qui erant rei mortis æternæ propter peccatum, ideo Christi spiritus censetur viuificatus cum sacrificium corporis ipsius fuit oblatum pro peccatis vt inde nobis vita acquireretur. Nam ea ratione ipse suum humanum spiritum & nostros liberauit ab obligatione mortis æternæ.

Dices illud viuificatus spiritu significare viuificatum per spiritum, scilicet per spiritum Sanctum. Respondeo mentem D. *Petri* talem non fuisse, quod apparet ex eo quod ait *θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι*, ibi enim sunt duæ sententiæ continuæ & contiguæ, quæ eodem modo exponi debent, nec vlla ratio postulat, vt vnam vno modo, aliam alio exponas. Cum ergo ait mortificatus carne, quomodo sumes illud, quod sit mortificatus per carnem? Non, sed in ipsa carne, ergo constantem persequere expositionem, & sic cum ait viuificatus spiritu non debes exponere, viuificatus per spiritum, scilicet diui-

num, sed viuificatus in ipso spiritu videlicet humano. In Græco contextu Phrases similes sunt.

θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ.

ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι.

Postea subijcit. ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. In quo etiam spiritibus qui in custodia, profectus prædicauit. Illud (in quo) est relatiuum, quid refert? superius membrum, quodnam? spiritum Christi viuificatum, ait in eo Christum profectum prædicasse spiritibus qui erant in custodia. Dices hoc indicare Christi Diuinum spiritum prædicasse hominibus quorum spiritus in custodia detenti fuerunt. Respondeo me nullo pacto dubitare quin spiritus Diuinus Christi per *Noam* prædicauerit hominibus viuentibus quorum spiritus postea detenti fuerunt in custodia, at hoc non est de quo loquitur D. *Petrus*. Nam D. *Petrus* loquitur de Spiritu viuificato, id est, humano Spiritu Christi, qui nondum erat natus cum *Noa* arcam fabricaret. Quinetiam & postquam passionem & mortem Christi narrauit, subijcit πορευθεὶς ἐκήρυξεν, id est profectus prædicauit, illa profectio ad tempus post passionem refertur, nec potest referri ad superiora tempora ante natum Christum. Neque etiam dicit eum prædicasse hominibus quorum spiritus postea fuerint positi in custodia, sed prædicasse spiritibus qui in custodia, quinetiam profectum eis prædicasse, illa profectio in vanum non ponitur.

Quinetiam hoc dicit, πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν, ἀπειθήσασί ποτε. Non dicit eum olim prædicasse spiritibus incredulis, aut prædicasse olim spiritibus incredulis, sed profectum prædicasse spiritibus, olim incredulis. Ergo non ait eum olim prædicasse illis spiritibus, sed tunc profectum seu progredientem prædicasse spiritibus olim incredulis, id est, qui olim fuerant increduli, nunc vero erant in custodia cum eis prædicaret Christus. Certe si liceat verbum Dei detorquere, & pro libito exponere, actum erit de eius veritate, tunc verbum Dei pro nihilo habebitur, nec ei subijcientur opiniones humanæ, sed ipsum subijcietur humanis opinionibus. Fuerant ergo hi spiritus increduli tempore *Noæ*.

Atque hic notandum est D. *Petrum* docere profectionem illam ad spiritus incarceratos post passionem & mortificationem carne. Quod quidem conuenit cum fidei symbolo, quod docet Christum esse passum sub *Pontio Pilato*, crucifixum, mortuum & sepultum, & descendisse ad Inferos, quod etiam conuenit cum doctrina *Thaddei* apud *Agbarum*, & doctrina *Cypriani* in expositione symboli, & cum doctrina D. *Augustini*. Non ergo descendit Christus ad inferos ante mortem vt aliqui volunt. Qui etiam Christo super crucem tribuunt horrorem, terrorem, & horribilem angustiam etiam IN CONSCIENTIA. Vnde hoc quæso? Christus fuit contristatus vsque ad mortem, & conturbata fuit eius anima ad mortem vsque, at quis potest asserere eum in conscientia fuisse conturbatum? quis potest probare hunc fuisse eius descensum ad Inferos?

Et adhuc ponamus eum sustinuisse talem cruciatum in ipsa conscientia si fieri posset, tamen hoc non esset eius descensus ad Inferos quem hi volunt. Nam si hic esset, duo essent descensus ad Inferos, vnus super crucem, alius

alius ad spiritus qui erant in custodia, quando Satanam Christus pro mille annis ligauit. Non enim debet imaginarius descensus ad Inferos super crucem obijci, ad detrudendum & expellendum verum Christi ad Inferos descensum, quem docet fidei symbolum & D. *Petrus* & *Apocalypsis*, & *Thaddeus*, & *Cyprianus*, & *Augustinus*.

Cæterum vis audire Christum sub passione loquentem, vt scias num haberet in conscientia terrorem ex *Isa. 50. 6.* Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus. Dominus meus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam vt *Petram* durissimam, & SCIO quod non confundar. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus meus auxiliator meus, quis est qui condemnet me. Ecce omnes quasi vestimentum contererentur, tinea comedet eos. Quæso perpende hæc singula vt videas num sint verba eius cuius conscientia sit conturbata. Num is qui in conscientiæ horribili terrore obsideretur diceret, posui faciem meam vt *Petram* durissimam? Num conscientia in angustia existens dicet scio quod non confundar? nonne potius hæc scientia est conscientia quieta? Ait iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? hæccine est conscientia terrore oppressa? Aut quum aduersarios prouocaret, non ita animum despondebat Christus.

Dices Christum dixisse conturbata est anima mea vsque ad mortem. Ita & Psalmista dicebat dolores mortis circũdederunt me, cum ab hominibus opprimeretur, quod carnis infirmitati tribuendum est non horrori conscientiæ. Sic ait Dominus spiritus promptus est, caro vero infirma.

Dices nos per peccatum fuisse reos mortis æternæ: Verum est. (Ergo concludes) Christus vt nos liberaret ab ea pœna quæ est terror conscientiæ, ipsã pœnam debuit sustinere, vt pœnam pœna compensaret. Nego consequentiam et contrarium exemplo doceo. Habebat Rex famulum quem diligebat, is mutuo petiit a Rege hero suo auri pondo mille, sub hac conditione & pacto quo quia fide iussorem dare non poterat nec prædia habebat quæ obligaret, obstringitur intra sexennium se redditurum integram summam hero suo, sin minus capitis pœnam absque vlla remissione subit. Herus etiam ne forte ioco dictum putet, neue existimet famulus se posse abuti pecunia heri, sacramento iurat ni intra sex annorum terminum reddat pecuniam, eum damnatum iri & iam reum esse mortis. Iamque patibulum erexit, cui etiam sententiam illam ascribi iubet. Interim famulus ille pecuniam heri sui cum socijs prodigaliter dissipat, vt ne obulus quidem ei restet quo hero satisfaciat. Filius heri hæc videt, dolet famuli conditionem, nouit se non posse procurare vt iusiurandum patris infringatur, nec potest æquo animo ferre vt famulus pœna capitis plectatur. Itaque seipsum pro debitore interponit, & quarto anno soluit mille auri pondera pro famulo illo, & tunc adit patibulum & sententiam illam quæ contra famulum lata erat ex consensu patris elidit. Quæso nonne hoc sufficit, nisi etiam filius Regis suspendatur pro eo qui erat dignus suspendio? Plane debet satisfacere pecuniæ aut pœnæ, si pecuniam non solueret, & vellet illum liberare, necesse esset vt pro illo suspenderetur, at cum

pecuniam soluat, nec ipse nec famulus capitis pœnæ subiiciuntur, sed ambo a supplicio liberantur, sic etiã homo in genere erat obligatus Deo propter peccatum, propter quod obstrictus erat patibulo inferni. Christus vero soluit pro precio obligationis & chirographum in cruce alligauit. Quid opus erat vt ipse aut homo pro quo satisfaciebat in inferno pateretur? Nam sublata causa, tollitur effectus, sic sublato peccato, tollitur pœna peccati. Obligatus erat homo supplicio, qua de causa? propter peccatum. Constituit se Christus solutorẽ erga patrem pro homine, debuit ergo satisfacere scilicet aut pro peccato aut pœna, non pro vtroque. Itaque satisfaciens summæ et percio, non debuit subijci pœnæ. Ipse soluit precium, nam precio sanguinis sui preciosi in cruce effusi, satisfecit pro peccato, & hostia proprij corporis expiauit peccatum, quinetiam loco peccati hominis abundantis per multos peccatores, obtulit iustitiam suam præstantiorem. Itaque & se & nos a sententia mortis æternæ liberauit, & hoc est quod ait D. *Petrus* quod ipse viuificatus fuit in spiritu, quoniam peccata hominis in se suscipiens videbatur eius humanus spiritus quodãmodo obligatus pro nobis æterno supplicio, donec per hostiam proprij corporis satisfecisset Dei iudicio, tunc enim liberabatur ab illa obligatione cum suis membris, & sic cum illis uiuificabatur, id est uiuificari censebatur. Descendit ergo ad inferos non vt pateretur, sed vt de inferno triumpharet. At super crucem etiã de inferno triumphauerat. Ita est, in cruce triumphauit, & in infernũ descendit vt magis triumpharet, sic et per resurrectionem glorificabatur, at per ascensum in cœlos magis glorificabatur. Dices Christum omnia consummasse super crucem, cum clamasset consummatum est. Imo consummata erat quidem sacrificij oblatio, sed nõ mors, sepultura, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio in cœlum, & futurus aduentus in gloria. Ego professus sum reformationem, & hanc doctrinam sub ipsa reformatione cum multis alijs reformatis professus sum sicut etiam veram profiteor Reformationem, & si quis Papista me voluisset propter hunc articulum quem aliqui Reformati perperam exponunt, de errore damnare, non id passus essem, quoniam est axioma Reformatorum. Non credo in fidem curati mei, id est non astringor personæ huius aut illius Doctoris, sed Dei verbo. Sic D. *August*. quod apud *Cyprianum* legebat cum Dei verbo consonum, cũ laude ipsius accipiebat, minus vero congruum, cum pace ipsius repudiabat.

CAP. IIII.

Concilij Niceni enucleatio.



IN primo volumine Conciliorum duæ proponuntur editiones Concilij Niceni, vna antiqua, altera recentior, ego veterẽ amplexus sum, recentiorem breuitatis gratia omisi. Verũ quia in concilio Aphricano de veris exemplaribus Concilij Niceni inter Aphricanos & Romanum valde serio disputatum fuit, ita vt Aphricani etiamsi haberẽt exemplar quod eis traditum fuerat a Cæciliano Carthaginensi Episcopo, qui Concilio Niceno interfuerat, tamen vt abunde

abunde refutarent ea quæ falsò citabantur à Romano Episcopo tanquam ex Concilio Niceno, miserunt literas ad *Alexandrinum* Episcopum, & Antiochenũ & Constantinopolitanum vbi precipue asseruabantur exemplaria Nicena à *Constantino* magno edita, quinetiã et ipsum Episcopum Romanum rogarunt vt suas quoq; cum suis coniungeret literas ad eosdem, et ad eundem finem, quod factum fuit. Asserebat autem Romanus ex Concilio Niceno Romanam ecclesiam posse de appellationibus aliarum prouinciarum cognoscere. *Aphricani* vero acceptis verioribus exemplaribus a *Cyrillo Alexandrino*, & ab *Attico* Constantinopolitano Episcopo, a *Teilone* & *Thearisto* Constantinopolitano e Græco in Latinum conuersa, abunde etiam refutarunt Papæ ambitionem, & eius Legati insolentiam, vt ex epistola Concilij Aphricani ad *Cælestinum* Papam apparet. Ideo nos exemplar Concilij Niceni, ab Aphricanis perquisitum & cum multis authenticis collatum, et in fine Concilij 6 Carthaginensis repositum huc transtulimus, & eius editionem cum veteri Romana edidimus.

CAP. I.

Tituli Canonum Niceni Concilij.

Antiqua editio Romana.	Editio ab Aphricano Concilio.
De Eunuchis qui seipsos absciderunt. 1.	*De Eunuchis qui seipsos abscinduntur.* 1.
De his qui ex gentilibus post baptisma ad Clericatus ordinem promouentur. 2.	*De his qui ex gentilibus post Baptismum ad Clericatus ordinem promouentur.* 2.
De subinductis mulieribus. 3.	*De commanentibus cum mulieribus.* 3.
De his qui ad Episcopatum in prouincijs prouehuntur. 4.	*De ordinatione Episcoporum.* 4.
De excommunicatis. 5.	*De excommunicatis.* 5.
De priuilegijs quæ quibusdam ciuitatibus competunt. 6.	*De priuilegijs quæ quibusdam ciuitatibus competunt.* 6.
De Episcopo *Aeliæ*, id est Hierosolymorum. 7.	*De Episcopo Aeliæ, id est Hierosolymorum.* 7.
De his qui dicuntur *Cathari* id est mundi. 8.	*De his qui dicuntur Cathari id est mundi.* 8.
De his qui ad honorem presbyterij sine examine prouecti sunt. 9.	*De his, qui ad Sacerdotium sine examinatione promoti sunt.* 9.
De his qui in persecutionibus negarunt, & postea promoti sunt. 10.	*De lapsis ignoranter ordinatis.* 10
De Laicis qui negarunt. 11.	*De his qui negarunt.* 11
De his qui abrenunciauerunt, et iterum ad seculum sunt regressi. 12	*De his qui abrenunciant & iterum ad seculum sunt reuersi.* 12.
De his qui communionem tempore mortis exposcunt. 13.	*De his qui in exitu communionem requirunt.* 13.
De catechumenis lapsis. 14.	*De catechumenis lapsis.* 14
Quod non oporteat demigrari. 15.	*De Clericis ne de ciuitate vna ad aliam transeant.* 15

De

Antiqua editio Romana.

CAP. I.

Si quis a medicis propter languorem desectus est, aut a barbaris excisus, hic in clero permaneat, si quis autem seipsum sanus absciderit, hunc et in clero constitutum, abstinere conuenit et deinceps nullũ debere talium promoueri, sicut autem hoc claret, quod de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere, dictum sit, sic eos quos aut barbari, aut Domini castrauerunt. Si inueniuntur alias dignissimi, tales ad clerũ suscipit regula.

Editio Aphricanorum contra Papam Bonifacium & Cælestinum, ex Concilio Carthg. *6. &* Aphricano, *facta collatione exemplaris a* Cæciliano *traditi & exemplarium* Constantinop. *et Alexandria missis.*

CAP. I.

Si quis a medicis sectus est, aut a Barbaris abscisus, iste remaneat in clero. Si quis autem sanus se abscidit, istum et in clero positum abstinere oportet et deinceps nullum talium debere promoueri, sicut autem hoc manifestum est, quia de his qui hanc rem excogitant, audentque seipsos abscindere, dictum sit, sic eos qui a barbaris aut Dominis castrati sunt, inueniuntur autem alias digni, tales ad clerum applicat canon.

Nosse finem rei propositæ, est omnium rerum primum. Scopus patrum Nicenorum non tam fuit imperare, quam docere, non noua præcepta tradere, & nouas leges condere in Dei ecclesia, sed priscas regulas & canones ecclesiæ Christianæ exponere, id est statuta Apostolica. Quod ex eo apparet, quod fere omnes canones Niceni ex canonibus Apostolorũ fuerunt desumpti, & sæpissime in ijs canonibus Nicenis, antiqui canones, seu antiquæ regulæ citantur, et nominatim cap. 8. Statuta Apostolica subscribenda catharis ad ecclesiam catholicã redeuntibus præcipiuntur qua in re maximam comendationem tribuunt Apostolorum canonibus, ex quo fit, vt *Euseb.* historicus ecclesiasticus egregius scribens ad *Constantinum* magnum excusans seipsum de eo quod Episcopatum Antiochenum recusabat, excusationis causam expiscatus sit potius ex canone Apostolorum 14. quam a 15. can. Niceno. Sic et Patres *Gangrenses*, qui ex Nicenis patribus erant, etiãsi obseruãda Nicena statuta præciperent, tamen suorum canonum rationem deducunt a regulis antiquis, quas vocãt Apostolorũ traditiones. Ita enim fiebat, vt ab iis patribus Nicenis Apostolorum canones vocarentur, modo traditiones Apostolorum vt hic et apud

Euseb.

Euseb. vt etiam in fine Concilij *Gangrensis,* modo antiquæ regulæ, vt in hoc Concilio, et Gangrensi et Antiocheno. Patres enim Antiocheni erant ex patribus Nicenis sicut et *Euseb.* et patres Gangrenses. Hoc igitur canone Niceno primo exponitur, quinam sunt Eunuchi quos admittit ad Clerum canon Ecclesiasticus seu regula ecclesiastica antiqua quæ posita erat in canonibus Apostolorum, 21. Apost. Can. videlicet ij qui in languore aliquo a medicis aut a Dominis aut a Barbaris aut insidiis hominum ipsis scilicet non illud affectantibus secti erant. Itaque pendet hæc regula ex supradicto 21. Canon. Apostolorum. Exponit insuper eos Eunuchos qui ex eadem scilicet regula ecclesiastica non admittuntur ad Clerum. Eos videlicet qui seipsos abscindunt, quod pendet ex Apost. Can. 22. et 23. Atque hic obiter notare possumus Patres Nicenos citasse veros canones Apostolorum, quandoquidem Canones qui falso Apostolis tribuuntur ex ipsorum patrum Nicenorum scriptis vt ex *Euseb.* refelli possunt. Lex antiqua præcipiebat ne castratus in ecclesiam ingrederetur, tamen *Daniel* perhibetur fuisse Eunuchus qui nihilominus fuit Propheta egregius. *Isaia* etiam propheta promissiones Dei dirigit ad Eunuchos custodientes Sabbatha Dei et eligentes quæ Deus voluit, custodientes fœdus Domini, vt adducantur in montem sanctum et lætificentur in domo orationis Dei, quæ est ecclesia. Ita quoque factum est vt *Melito* Eunuchus sub ipso Apostolorũ seculo fuerit creatus episcopus Sardiensis ecclesiæ. At *Origenes* contra hos Canones fuit admissus ad Clerum, quod tamen Episcopus *Demetrius* improbabat. *Euseb.* hist. eccl. lib. 6. cap. 7. Et ipse *Eusebius* hoc tribuit iuuenili audaciæ ex literali explicatione dicti Domini de iis qui seipsos castrant propter regnum cœlorum, tamen *Euseb.* rem excusat ex indicio zeli & castitatis, exemplum est potius admirandum quam imitandum. Concil. Arelat. 2. cap. 7. tempore *Syluestri* idem decreuit quod in hoc Canone continetur.

CAP. II.

Quoniam plura aut per necessitatem, aut aliâs cogentibus hominibus aduersus ecclesiasticam facta sunt regulam, vt homines ex gentili vita, nuper accedentes ad fidem, & instructos breui tempore, mox ad lauacrum spirituale perducerent, simulque vt baptizati sunt, ad Episcopatum vel presbyterium promouerent. Optime placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post baptisma probatione plurima. Manifesta enim Apostolica scriptura, quæ dicit, Non Neophytũ, ne in superbiam elatus in iudicium incidat

CAP. II.

Quia multa necessitate aut aliter cogentibus hominibus facta sunt contra canonem ecclesiasticũ vt homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem in paruo tẽpore catechizati, statim ad spirituale lauacrum ducantur, & simul cum baptizati fuerint promoueantur ad Episcopatum, aut presbyterium, placuit de cætero nihil tale fieri. Nam et tempore opus est ei, qui catechizatur, & post baptisma approbatio amplior. Manifesta est enim Apostolica Scriptura, quæ dicit, Non neophytum, ne forte in superbiam elatus in iudicium incidat

incidat, & in laqueum Diaboli, si vero processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur huiusmodi, & *duobus vel tribus testibus* arguatur, a clero talis abstineat. Si quis autem præter hæc fecerit, quasi contra magnum Concilium se efferẽs ipse de Clericatus honore periclitabitur.

incidat, et laqueum Diaboli, si autem procedente tempore, aliquod animi peccatum inueniatur, circa huiusmodi personã, & cõuincatur a duobus aut tribus testibus, ipse cesset a Clero. Si quis autẽ præter hæc facit, quasi aduersus magnum Concilium se efferens, ipse periclitetur de Clero.

Canones Niceni aut ex sacris literis desumuntur vt hic ex 1. *Tim.* 3. aut ex 50. canonibus Apostolorum sup. expositis. Cæterum hic canon fuit etiam confirmatus, Concil. Arelat. 2. cap. 1. vbi prohibetur ne *Neophytus* ad presbyterium aut diaconatum promoueatur.

CAP. III.

Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere, subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem aut amitã, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt.

CAP. III.

Interdixit omnimodo sanctum Concilium, neque Episcopum, neque Presbyterum, neque Diaconum, neque ex toto, eum qui in clero est, habere secũ subintroductam mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut eas solas personas quæ refugiunt omnes suspiciones.

In Concilio Arelat. 2. cap. 3. hæc decreta fuerunt, si quis de Clericis a gradu Diaconatus, in solatio suo mulierem, præter auiam, matrẽ, sororem, filiã, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, a cõmunione alienus habeatur. Par quoque et mulierem (si se separare noluerit) pœna percellat. Conuersam vxorem dicit, quoniam non admittebantur ad clerum ij qui ad Christum erant conuersi ab Idolis, nisi etiam eorum vxores essent conuersæ, & etiam quin eorum integra familia fidem admitteret. vt patet ex *Cart.* 3. cap. 18. et *Aphric.* Conc. cap. 3. Atque ex hoc decreto Concilij *Arelatensis* 2. quod fuit celebratum circa tempora *Syluestri*, quum *Nicasius* nomine *Gallicarum* ecclesiarum interfuisset Niceno Concilio, nuptiæ Clericorum permittebantur, quod a Patribus Nicenis non fuisset permissum si Canones Apostolorum hoc prohibuissent, nam Niceni Patres nitebantur Canonibus Apostolorum.

CAP. IIII.

Episcopum conuenit maxime quidẽ ab omnibus qui sunt in prouincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem

CAP. IIII.

Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt intra prouinciã Episcopis ordinari. Si autẽ hoc difficile fuerit, aut propter vrgentem necessitatem, aut propter longitu-

cessitatem aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in id ipsum conuenientibus, & absentibus quoque. Pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorũ, quæ geruntur per vnamquamque prouinciam, metropolitano tribuatur Episcopo.

longitudinem itineris, omnimodò tres in vnum conuenientes consentientibus, et his qui absentes sunt Episcopis & spondẽtibus per scripta, tunc manus impositionem fieri. Confirmatio autem eorum quæ fiunt danda est vnicuique a suæ prouinciæ metropolitano.

Primus canon Apostolorum præcipit vt Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur. Cæterum vbi nulla incumbit necessitas aut obstaculum opponitur, ratio postulat, vt potiorem legis partem sequamur, verbi gratia vbi Episcopi sunt qui possunt absque obstante persecutione congregari, ratio postulat vt ex eodem canone potius a tribus quam a duobus Episcopis. Episcopus ordinetur. Sic etiam *Paulo* & *Barnabæ Iacobus* & Petrus & *Iohannes* dederunt manus associationis. *Galat*.2. Vt scilicet essent participes Episcopatus Apostolici, sicut loquitur *Act*. 1. 20. At tempore Apostolorum cum Apostoli ad nationes remotissimas plantarent Euangelium Christi, et pauci numero longas itinerationes susciperent, ita vt vix possent interdum duo congregari ad constituendos Episcopos, tunc etiam duo poterant sufficere, vbi plures non poterant conuenire. Itaque potior pars legis requirit tres, debilior duos in extremis casibus. At tempore Niceni Concilij, sublata erat necessitas et obstaculum quod poterat impedire, quominus plures Episcopi congregarentur, & aliud incommodum oriebatur ex tumultibus *Arrianorum*, quod videlicet vix poterat quispiam securus esse de episcopatu suo nisi omnes eiusdem prouinciæ Episcopi consentirent. Ex eo factum est vt hic Canon fuerit constitutus quo cauetur ne quis episcopus ordinetur præter consensum omnium Episcoporum prouinciæ, aut in vnum conuenientium, aut per epistolas consensum suum spondentium. Iisdem tumultibus afflicti *Antiocheni* Antioch. Conc. cap. 9. decreuerunt, vt absque Synodo et metropolitano Episcopus non ordinaretur. In *Laodiceno* Concilio cap. 12. Episcopi iudicio metropolitanorum, et eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, prouehuntur ad ecclesiasticam potestatem. In Arelatensi 1. cap. 21. hæc habentur. De his qui sibi vsurpant quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit vt nullus hoc sibi præsumat nisi assumptis secum aliis septem episcopis, si tamen non potuerint septem sine tribus fatribus non audeant ordinare, et Cart. 2. cap. 5. Nullus Episcopus sine Metropolitano, nec metropolitanus sine tribus Episcopis comprouincialibus, præsumat Episcopum ordinare, ita vt alij comprouinciales epistolis admoneantur, vt se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero metropolitanus consentiat. In Concilio Carth. 3. cap. 29. *Aurelius* dixit, forma antiqua seruabitur, vt non minus quam tres sufficiant, qui fuerint a metropolitano directi ad Episcopum ordinandum. Idem & in Concilio Aphricano c. 16. constituitur, & c. 17. plures adiunguntur si illi non conueniant.

Ex his et similibus facile est iudicare ad Episcopum ordinandum, Episcoporum numerum sumi debere pro ratione loci & temporis. In plantando enim Euangelio in locis vbi non prius admitteb atur, si plures quam duo Episcopi interesse nequeant, ex 1. Can. Apostolorum duo Episcopi possunt Episcopum ordinare. In locis vero vbi Episcopi complures sunt et varijs schismatibus conturbati ita vt metuatur ne ordinatio conturbetur: omnes comprouinciales eum comprobent, vel presentes, vel scriptis suum consensum tribus præsentibus mittentes, si vero pacata sit ecclesia tres sufficiunt. Metropolitanus vero omnia dirigat.

CAP. V.

De his qui communione priuantur seu ex Clero, seu ex Laico ordine ab Episcopis per vnamquamque prouinciam, sententia regularis obtineat vt hi qui abijciuntur, ab aliis nõ recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam, bis in anno Concilia celebrari, vt communiter simul omnibus episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones. Et sic qui suo peccauerunt Episcopo euidenter, excõmunicati rationabiliter ab omnibus extimẽtur, vsquequo vel in communi, vel Episcopo placeat, humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur, vnũ quidem ante quadragesimam paschæ vt omni dissensione sublata, munus offeratur Deo purissimum, secundum vero circa tempus Autumni.

CAP. V.

De eis qui excommunicantur, siue de clero sint siue de laico agmine, ab episcopis, per singulas prouincias obtineat sententia iuxta canones, eos qui ab alijs abijciuntur, ab aliis non recipiendos. Requiratur autem ne pusillanimitate, aut pertinacia, aut aliqua alia molestia episcopi sint excõmunicati. Vt ergo hoc decentius requiratur, bene placuit singulis annis per singulas prouincias bis in anno concilia fieri omnibus simul episcopis in vnum congregatis, vt tales quæstiones requirantur. Et ita qui manifeste offenderint episcopum, rationabiliter excommunicati apud omnes esse putẽtur, quandiu aut in communi aut episcopo placeat humaniorẽ pro his ferre sententiã. Concilia autem fiant vnũ quidẽ ante quadragesimam Pascha, vt omni pusillanimitate sublata munus purum offeratur Deo, secundum autem circa tempus Autumni.

Præcipit hic Canon, vt hi qui in vna ecclesia eiiciuntur in alia non recipiantur atque id iuxta canones, hic quidem apertius loquitur, cum ait iuxta Canones, quam sup. 1. capite cum ait, tales ad Clerum applicat Canon, nam illic posset quispiam cauillari patres Nicenos loqui de proprio ipsorum quẽ constituunt canone. At hic cum aiunt patres Niceni iuxta canones, plures quam vnum citantes, aperte docent se alios canones citare, atque illos graues scilicet et maximæ authoritatis, quum tantum et tam graue concilium se

eis subiiciat, non solum in primo et hoc 5. cap. sed 8. et 15. et 16. & c. sunt autē Canones qui hic citantur ij qui in Antiocheno Concilio a patribus qui interfuerant Niceno vocantur antiqui canones, & 8. cap. huius Concilij vocantur statuta Apostolica, & in Gangrensi Concilio, traditiones Apostolicæ nuncupantur. Qui quidem cap. 33. præcipiunt vt Clerici damnati ab alijs non recipiantur, & vt illud seuerius obseruetur, præceperunt cap. 34. vt nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus sine commendatitijs suscipiatur epistolis, & cap. 13. vt nullus fidelium sine commendatitijs suscipiatur epistolis. Hoc idem confirmatur in Concilio Antiocheno cap. 3. et 7. & 8. In Con. Arelatensi 2. cap. 8. hæc habentur. Si quis excommunicatum alterius, siue Clericum, siue Sæcularem, recipere post interdictum præsumserit, nouerit se reum fraternitatis factum, causam in Concilio redditurum. In Carthaginensi 1. cap. 7. præcipitur vt vnusquisque Clericus vel Laicus, non communicet in aliena plebe, sine literis Episcopi sui. At Pontifices Romani eodem artificio quo finxerunt donationem *Constantini* magni, voluerunt similiter Conciliabulum Sardicense authoritate Aphricanorum præmunire, & ideo in hoc Carthaginensi Concilio 1 cap. 5. induxerunt citationem Concilij Sardicensis. Et tamen Deus qui deprehendit sapientes in astutia sua, voluit vt hanc approbationem falsam captarent in eo Concilio ex quo desumi non poterat. Nam & titulus Concilij ostendit fuisse celebratum tempore *Siluestri* Papæ, & procemium demonstrat fuisse celebratum in Carthaginensi Ciuitate sub pace qua fruebantur per *Constantinum* magnum, et Concilium Sardicense non fuit celebratum nisi tempore *Iulij* Papæ post *Syluestrum* & vndecimo anno post *Constantinum*, quomodo igitur tunc poterat *Gratus* meminisse Concilij nondum celebrati? Et quis est, qui non videat hoc fuisse a Romanis adiectum vt more solito falsam probationem Conciliabuli Sardicensis ab Aphricanis affectarent? Si Concilium Sardicense aliquam habet ex se authoritatem, quid opus est eius approbationem falsis citationibus venari? At oportuit vt Antichristus ostenderet suam sedem esse sedem mendacij, & ideo ex patre mendacij esse. Consimili artificio concinnarunt Romani epistolam *Stephani* Archiepiscopi & trium Conciliorum Aphricæ, ad *Damasum* Papam de priuilegio Romanæ sedis. In qua inducunt Aphricanos vt omnem authoritatem Romanis concedentes, at epistola ista falsa & supposita arguitur ex epistola Concilij Aphricani ad Papam *Cælestinum*, quæ manifeste testatur nullis statutis patrum fuisse derogatū ecclesiæ Aphricanæ, quominus frueretur iure Concilij Niceni, quo statuitur, vt ij qui in vna ecclesia excommunicantur, in alia non recipiantur. Ex quo etiam asserunt Pontifici Romano non licuisse Apiarium presbyterū, hominem nefarium, ab Aphricanis excommunicatum, in communionem recipere, vt etiā huius canonis verba clara sunt, præcipit enim vt ij qui ab aliis ex communicantur, ab aliis non recipiantur, neque est aliqua exceptio Episcopi Romani, aut alterius cuiuspiam. Et si quis dicat in hoc concilio citari canones in quibus fortasse exceptio continebatur, respondeo Canones qui hic citantur non esse obscuros, sed esse Canones Apostolorum, in quibus idem præcipitur etiam absque vlla exceptione. Itaque Papa Romanus non poterat excommunicatos in Aphrica in communionem recipere, et ideo iure et merito

rito ea de re ab Aphricanis arguitur.

Si quis tamen Episcopus,aut nimia festinatione, aut ira aut morositate excommunicando potius iniuriam intulerit, quam iustitiam fecerit: num is qui excommunicatus est,carebit iuridico remedio? Non sed ideo constituta sunt Concilia vt in iis causam suã exponere possit, et si iniuriã sit excõmunicatus,restituatur,si autem iure,confirmetur eius excommunicatio. Et hæc est secunda huius Canonis pars,quæ etiam pendet ex 38. Can. Apostolorum, vbi præcipitur sicut in hoc Canone,Vt bis in anno Concilia celebrentur Episcoporum,& inter se inuicem dogmata pietatis explorent,et emergentes ecclesiasticas controuersias amoueant. At tempus horum duorum Conciliorum illic constituitur paulo aliter quam hic, scilicet tempus primi Concilij. In canone enim Apostolorum superius citato ponitur quarta Septimana Pentecostes, præsens vero Nicenus Canon, ante quadragesimam Paschatis. Verum Concilium Antiochenum cuius Episcopi ex patribus Nicenis erant, iterum tempus resumebant iuxta Canonem Apostolorum, potius quam iuxta canonem Nicenũ: præcipiunt enim similiter vt duo Concilia bis in anno celebrentur,quorum vnum congregetur post tertiam Septimanam Pẽnecostes, scilicet quarta septimana post Pascha Antioch. Conc. cap. 20. Secundũ Concilium in Can. Apostolorum 38. ponitur 12. die mensis Hyperberetæi, et in hoc capite Nicenæ Synodi generalius in Autumno constituitur. At Antioch. cap. 20. ponitur Idib. Octob. id est 15. Hyperberetæi. Est exigua differentia quoad tempus. Sed nulla quoad rem quæ constituitur est differentia aut discrimen.

Cæterum in Concilio Constantinop. 1. c. 2. hæc habentur, seruata vero quæ scripta est de gubernationibus regula, manifestum est, quod illæ quæ sunt per vnamquamque prouinciam, ipsius prouinciæ synodus dispenset,sicut Niceno constat decretum esse Concilio. Recte quidem ait synodus Constantinopolitana Concilio Niceno decretum fuisse vt per vnamquamque prouinciam ipsius prouinciæ synodus de eius rebus dispenset. Nam id decretum fuit in hoc. 5. can. Niceno. Synodus illa Constantinop. eodem loco decernebat secundum locum Constantinopolitano Episcopo, non est ex decreto Niceno sed nouum fuit & Niceno contrarium decretum, quod iure constitui non potuit. Innocentius Papa ad Vitricium Rotomagensem Episcopum ait, si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos, vel inter laicos, & clericos, tam superioris gradus quàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit vt secundum synodum Nicenam, congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis, iudicium terminetur. Recte loquitur Papa ea in re. At quum hoc decreuerit synodus Nicena, cur idem Papa & eius successores quærunt vt causæ quæ deberent terminari in suis prouincijs, per appellationem ad sedem Romanam deuoluantur? Nam si terminentur in concilio prouinciæ, non est locus appellationis extra prouinciam. Ipsi sibijpsis tanquam infantes contradicunt,& tanquam simij subrepto gladio seipsos iugulant. At *Isidorus* in præfatione ad opus Conciliorum hæc adducit,ad probandum plures fuisse quam 20. can. Nicenos, verum hoc ad illum finem nihil facit, nam hæc duo desumpta sunt ex hoc. 5. can. Niceno etiamsi non ad verbum. Et certe Aphricanum Concilium in Epistola ad *Cælestinum* idem plane affirmat, ex eodem Concilio

Niceno,

Niceno, & tamen non plures quam 20. canones Nicenos admittebat, quos etiam nos hic inseruimus. In can. autem 38. Apost. præcipitur vt omnes causæ Ecclesiarum amoueantur in Concilijs bis in anno celebrandis, nullum priuilegium præ cæteris Romano tribuens.

CAP. VI.

Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum Libyam & Pentapolim, ita vt *Alexandrinus* episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud *Antiochiam* cæterasque prouincias, suis priuilegia seruentur Ecclesijs. Illud autem generaliter clarum est, quod siquis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna synodus definiuit, Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili & secundum Ecclesiasticā regulam comprobato, duo aut tres propter contētiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.

CAP. VI.

Antiquiores obtineant, qui apud Ægyptum sunt, & Libyam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat solicitudinem quia & vrbis Romæ Episcopo similis mos est. Similiter autem & circa Antiochiam, *& in cæteris prouincijs priuilegia propria reseruentur Metropolitanis Ecclesijs. Omnino autem manifestum est illud, quasi quis præter consilium Metropolitani, factus fuerit Episcopus, hunc concilium magnum definiuit, non debere esse Episcopum, si vero communi omnium decreto rationabili secundum canonem Ecclesiasticum comprobato duo aut tres propter proprias inimicitias contradixerunt, obtineat sententia plurimorum.*

Quæri potest num ius Metropolitanorum pendeat ex iure Diuino, aut ex consuetudine. Respondeo ex iure Diuino. Deducitur enim ex iure legis naturæ sub qua *Melchisedech* erat summus Sacerdos in ciuitate *Salem* & regno quod ab illa pendebat, & *Iob* in prouincia seu terra Vz. sicut & *Iethro* apud Madianitas, sub lege *Mosaica* Aaron erat etiam Primas & sub Euangelio *Iacobus* frater Domini fuit Primas Iudææ, & *Titus* Cretæ. & *Philippensium* ciuitas fuit prima partis Macedoniæ, in qua deo varij Episcopi consalutantur, primo ad *Philippenses*, qui videlicet ab illa Metropoli pendebant. Sic D. *Paulus* ad Corinthum Achaiæ Metropolim scribens, totam Achaiam salutat. Et D. *Iohannes* in Apocalypsi salutat Ephesum & sex alias ciuitates, quæ ab illa pendebant, sicut etiam aliæ quæ ibi omittuntur, & ex illis sex duæ quoque sunt Metropoles, at eadem ratione *Ephesi* connectabantur, qua Lybia & Pentapolis Alexandriæ, si rationi consuetudinis insistamus ex qua hoc colligi potest.

Neque hæc ita in nouo Testamento obseruabantur sorte, sed ratione & consilio certisque regulis. Ideoque inter canones Apostolorum 35. constituit ius Metropolitanorum, & Concilium Antiochenum cuius Episcopi erant ex Patribus Nicenis, citat antiquum canonem in exponendo hoc iure Metropolitanorum, qui quidem canon antiquus vt apparet ex suggestione Episcoporum Cypri in Concilio Ephesino, erat canon Apostolorum. Quinetiam ex

cap.

cap. 8. huius Concilij Niceni & ex Epilogo Concilij Gangrensis, & ex *Eusеb.* in vita *Constantini* colligere possumus canones qui a Patribus ijs qui erant tempore Concilij Niceni citantur, traditiones fuisse Apostolorum, seu Apostolorum canones. Quare posset quispiam mirari qui fiat vt Patres Niceni in exponendo iure Metropolitanorum potius consuetudinem quã canonem Ecclesiasticum citarint. Respondeo causam esse, quia ius quidem Metropolitanorum generaliter constat iure, quod Patres Niceni pro concesso tenent, at quod huic aut illi Metropolitano hæc aut illa diœcesis subiaceat, hoc non pendet ex certis regulis, sed ex consuetudine. Verbi gratia Canon 35. Apostolorum præcipit, vt cuiusque gentis Episcopi sciant, quis inter ipsos primus sit, iuxta hoc AEgypti Episcopi debent nosse Alexandrinum Episcopũ inter ipsos primum esse. At ex eo non sequitur diœcesim Pentapolitanam debuisse subijci *Alexandrino* Episcopo, nisi probetur quod consuetudo quæ est secundum eundem 35. canonem id ita tenuerit. Patres ergo Niceni tribuentes *Alexandrino* Episcopo, AEgyptum Libyam & Pentapolim, idque ex consuetudine, docent, quomodo applicandus sit 35. canon Apostolorum ad id vt ex eo innotescat ius ipsius. Hinc fit vt suggestiones Episcoporum Cypri in Concilio Ephesino dicant Patres Nicenos in hoc capite exposuisse canones Apostolorum. Cæterum *Ieronymus* hic deceptus fuit, cum videret enim hic consuetudinem citari statim conclusit Episcoporum ius ex consuetudine pendere. Nec vidit hunc canonem loqui de Metropolitanis & non de quibuslibet Episcopis, nec de iure Metropolitanorum in genere, sed de diœcesibus quæ ex consuetudine eis subijciebantur.

Præcipit igitur hic canon vt antiqua consuetudo seruetur per AEgyptum Libyam & Pentapolim, vt Alexandrinus horum omnium habeat potestatem. Quæri potest, quam antiqua sit consuetudo quæ hic citatur, respondeo antiquam hic citari consuetudinem, quæ cœperit a tempore Apostolorum vt apparet ex actis Concilij Ephesini circa Cypri Episcopos in lite inter Antiochenum & ipsos. Quæro igitur num a tempore Apostolorum *Alexandrinus* præfuerit AEgypto, Libyæ & Pentapoli. Respondeo præfuisse. Qua ratione probabitur? Ex *Dorothei* synopsi his verbis. *Marcus* Euangelista & primus Alexandriæ Episcopus, Alexandriniѕ & cunctæ finitimæ regioni ab AEgypto Pentapolin vsque prædicauit. Ab eo igitur cœpit hæc consuetudo.

Dicit quoque Episcopo Romano parilem morem esse. Hic mos Episcopi Romani apparet ex *Eusebij* Historia, vbi cum tempore *Cypriani*, *Aphricani* decretum baptizandi hæreticos tulissent: *Cornelius* Episcopus Romanus & omnes Sacerdotes per totam Italiam inito concilio contrarium decretum tulerunt, manente tamen sacerdotali concordia. *Euseb.* lib. 7. c. 2. Et tempore *Victoris* Papæ cum per singulas prouincias Episcopi synodos congregarent consimili ratione *Victor* suos Italiæ Episcopos congregauit, vt patet collatione horum *Euseb.* locorum scilicet, Lib. 5. c. 21. ex loco sup. citato.

Simile ius tribuit Antiocheno & reliquis reliquarum prouinciarum Metropolibus. Quo loco refutanda est nobis quorundam sententia qui quidem hoc decretum arguere præsumunt. Aiunt enim Patres Nicenos sumere Romanum Episcopum tanquam omnium typum, cum aiunt, quia & Romano pa-

rilis

rilis mos est. At ipsorum iudicium mutilum videtur, cum truncata nitatur sententiâ. Ideoque res non est ex sententiæ parte iudicanda, sed ex tota sententia. Iubent ergo Patres Niceni vt *Alexandrinus* Episcopus præsit AEgypto, Libyæ, & Pentapoli, & quidem quia Romano parilis mos est, at non simpliciter quia Romano parilis mos est, sed etiam quia similiter idem mos est Antiocheno quem statim subijciunt, & reliquis Ecclesijs singularum prouinciarum. Itaque quia Romanus & Antiochenus & reliquæ Ecclesiæ aliarum prouinciarum id ius possidebant, ideo & æquitas postulabat vt *Alexandrino* sua antiqua consuetudo custodiretur. Sic Cretensi Episcopo sua antiqua consuetudo custodiebatur, qui vt testatur *Dorothei* synopsis ab ipso *Tito* non solũ Cretæ præerat, sed etiam insulis adiacentibus. Sic & cum *Ireneus* Episcopis Galliæ præesset ex *Euseb*. Lib. 5. c. 21. & 23. Episcopo Lugdunensi eadem consuetudo conseruabatur. Et Corinthiaco tam ex Epistolis D. *Pauli* quam ex eodem *Eusebij* loco.

Et tantum abest vt hic canon Romanis faueret, quod contra eorum ambitionem comprimebat. Nam Episcopi Romani iam ab ipso Anacleto volebant vsurpare primatum vniuersalem, vt apparet ex eorum decretis, verum quia aliqui eos impugnant de falso, vt etiam in illis multa falsa commixta reperiuntur, ideo possunt typum ambitionis eorum cernere in historia Ecclesiastica describente acta *Victoris* & *Iulij*, Paparum. Nam *Victor* præsumpsit excommunicare omnes Ecclesias Asiæ, *Euseb*. Lib. 5. c. 23. Et *Iulius* eo deduxit causam *Pauli* & *Athanasij*, vt propter ipsos filios *Constantini* magni inuicem armare vellet, vt apparet ex historia *Socrat*, Lib. 2. c. 18. Cum ergo ambitio Romanorum ea esset, si Patres Niceni eis fauere voluissent, Episcopum Romanum omnium primum posuissent, aut ei speciale ius concessissent. At contra alium prius nominant, deinde ne ipse ius exposcat præstantius, ei parilem morem assignant, hoc non erat, eius primatum præferre, sed coarctare, ne plus quam iure poterat, vsurparet. Et ideo huius decreti vi & iure Aphricani tempore Aurelij Carthaginensis *Faustinum* legatum *Bonifacij* Papæ ex concilio Sardicensis, ambientem ius appellationum in Aphrica repulerunt, vt apparet ex actis Carthaginensis 6. Concilij & Aphricani. Pontifices Romani *primatum* ex hoc decreto non obtinuerunt, sed ex Testamento *Constantini* magni vt testatur *Sozomenus* Lib. 2. c. 32.

CAP VII.

Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt *AEliæ* Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salua Metropolis propria dignitate.

CAP. VII.

Hierosolymitani antiqua consuetudo seruetur, vt AEliæ Episcopus honoretur, salua tamen Metropolitani dignitate einsdem prouinciæ.

Quatuor fuerunt fratres Domini *Iacobus Iustus*, *Iose* seu *Ioseph*, & *Simon*, qui etiam vocatur *Cleopha*, non vt quidam inscie dicunt *Simon Cleophæ*, & *Iuda Iustus*, qui etiam dicitur *Barsabas*. Atque ij quatuor erant filij *Mariæ* soro-

ris Virginis, quæ a tribus filijs suis *Iacobo* & *Iose* & *Cleopha* in varijs locis Euangelij vocatur *Maria Iacobi*, *Maria Iosæ*, & *Maria Cleophæ*. Ex his duo scilicet *Iacobus* & *Simon Cleophas* fuerunt Episcopi Ierosolymitani successiuè, scilicet *Iacobus Iustus* fuit primus Episcopus Ierosolymitanus post fratrem ipsius Christum, & *Iacobo* vita defuncto, iterum alius frater Domini *Simon Cleopha* sedem illam sacratissimam decorauit. Eorum successoribus hoc canone custoditur honos antiquus & prisca dignitas.

CAP. VIII.

De his qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, vt impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scriptis conuenit profiteri, quod Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant & sequantur, id est, & bigamis se communicare, & his qui in persequutione prolapsi sunt, erga quos & spatia constituta sunt, & tempora definita, ita vt Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ placita sequantur, in omnibus. Vbicunq; vero siue in ciuitatibus ipsi soli fuerint ordinati, qui inueniuntur in clero in eodem habitu perseuerent. Vbi autem catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero constituto, quidam ex illis adueniunt, certum est, quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterij possidebit, nisi forte placuerit Episcopo, nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, prouidebit ei aut chorepiscopatus aut Presbyterij locum, vt in clero prorsus esse videatur, ne in vna ciuitate duo Episcopi probentur existere.

CAP. VIII.

Si aliquando venerint ad Catholicam Ecclesiam cathari, placuit sicut & magnæ synodo ordinatos, eos sic manere in clero. Ante omnia autem, hæc profiteri ipsos per scripturam oportet, quod consentiant, & sequantur catholica & Apostolica dogmata. Hoc est & bigamis communicare, & his qui in persequutione lapsi sunt, circa quos & tempus constitutum est, & dies definitus, & sequantur in omnibus quæ placuerunt catholicæ Ecclesiæ Episcopo, vel Presbytero. Vbicunque autem omnes, siue in castellis, siue in ciuitatibus, ipsi inuenti fuerint ordinati, qui inueniuntur in clero, sint in eodem habitu. Quotquot autem vbi Ecclesiæ catholicæ Episcopus vel Presbyter extat, accedunt, manifestum est quod Episcopus Ecclesiæ habebit dignitatem Episcopi. Qui autem nominatur apud eos Episcopus, Presbyterij honorem habebit, nisi forte placuerit Episcopo, honoris eum nomine frui, sin vero non hoc ei placuerit, prouidebit ei locum aut chorepiscopatus, aut Presbyterij, vt in clero omnino esse videatur, quatenus non in ciuitate duo sint Episcopi.

Superiori capite ex Concilio Ephesino, quod fuit celebratum centum annis post Nicenum, docuimus Nicenum concilium exponere canones Apostolorum

lorum. Ita enim nominatim appellantur in Concilio Ephesino sicut apud *Eusebium* in vita *Constantini*, at in hoc canone Niceno, quem nunc exponimus canones illi nuncupantur statuta Ecclesiæ Apostolicæ,& placita Ecclesiæ Apostolicæ, quæ etiam possent dici Ecclesiæ statuta seu decreta Apostolica. vt etiam in versione quam proferimus ex concilio Aphricano nominatim vocatur Catholica & Apostolica dogmata. Ex quo loco, & *Eusebij* iam citato & Concilij Gangrensis quod eos vocat traditiones Apostolicas, et Antiocheni, qui eos vocat antiquos canones, & *Ephesini*, luce clarius apparet hos canones vere Apostolicos esse. Neque enim potuit fieri vt per subreptionem admitterentur in quatuor celeberrimis Concilijs & ab historico Ecclesiastico omnium celeberrimo. Præcipue quum tempore Concilij Niceni ij viuerent (vt Autonius Monachus AEgyptius) qui nati erant viuente *Irenæo* qui viderat Polycarpum egregium Apostolorum Discipulum, Angelum Ecclesiæ Smyrnensis ad quem Christus post resurrectionem scripsit. At ne quis decipiatur & aurum subæratum admittat credens se aurum purumputum sumere, ideo quinam sint illi canones quos synodus Nicena, & Gangrensis, & Antiochena, & Ephesina vt Apostolicos cum *Eusebio* celebrarunt, quia etiam interdum statuta Apostolica vocantur, si quis existimaret hos canones loqui de ijs quæ vocantur constitutionum Apostolicarum seu ἀποστολικῶν διαταγῶν. quas Capellius non multis ab hinc annis in lucem edidit valde falleretur, sunt enim delyria quibus nulla fides tribui potest. Nemo etiam est qui non possit statim fabulam dignoscere. Nam ipse asserit fuisse traditas à *Clemente* Episcopo Romano, & interim incognitas in eius sede et postea inuentas in Creta. Certe si a *Tito* editæ fuissent, potuisset maiori cum prætextu asserere custoditas fuisse in Creta. Reijcio quoque alios 35. canones confictos in fine verorum adiectos a *Gregorio Halloandro*, verum quia de ijs superius disseruimus in præfatione ad canones Apostolorum, ideo nunc plura non dicemus.

Cæterum statuta Apostolica hic Catharis ad Ecclesiam Catholicam redeuntib. subscribenda & scriptis comprobanda proponuntur. Id est vt cum ijs qui ad secundas nuptias accedunt, communicent. Nam hic nomen bigami impropriè sumitur pro eo qui ad secundas nuptias transit, non pro eo qui eodem tempore duabus vxoribus est obstrictus. Ac primò certum est D. *Paulum* statuisse vt iuniores viduæ denuo nuberent, at non est verisimile synodum de illis statutis loqui, quæ sunt in contextu Scripturæ, quoniam tale genus hæreticorum quales Cathari erant facile concedit ea quæ sunt ex contextu Scripturæ, at non ea quæ sunt ex mente Scripturæ, quin potius ad suam sententiam ea detorquent, & si quid hac in re valeret coniectura ego potius crederem Catharos in ea sententia versatos fuisse vt ex D. *Pauli* scriptis permitterent, vt iuuenes viduæ nuberent, non autem aut prouectioris ætatis viduæ, aut vidui viri seu iuuenes seu senes, hoc adducentes pro prætextu quod D. *Paulus* permisisset vt iuuenes vidui nuberent, & si voluisset vt vidui nuberent, idem expressisset eodem loco occasione sese offerente, quibus Patres Niceni obijciunt statuta Apostolica, quæ quidem dum prohibent Presbyteris ducere viduam id tacite laicis concedunt. nec ipsis clericis viduis nuptias prohibent, vt facile hoc cerni potest in Apostolorum can. 6. 17, 18. 19. 27. & 47. vbi de

 coniuga-

coniugatis agunt & nullibi secundas nuptias prohibent sed plane bigamiam, id est ne quis duabus eodem tempore nuptijs obuoluatur. Volunt etiam Niceni Patres vt Cathari scriptis comprobent dogmata Apostolica (quæ a synodo Ephesina vocantur canones Apostolorum) in eo quod cum lapsis communicent quibus tempus ad resipiscendum constituitur. Huius canonis causa mea quidem sententia altius repetita hæc est, D. *Paul* Heb. *6.* & 10. voluntariè peccantibus post acceptam cognitionem veritatis ait non esse spem vt per metaniam renouentur. D. *Iohannes* etiam non vult vt precemur pro eo qui ad mortem peccat, hæc Cathari literaliter & nimis rigidè assumentes eos repellebant, qui post acceptam cognitionem lapsi erant, absque iusto discrimine, sicut Elibirinum Concilium, qui lapsos ne in fine quidem in communionem admittebat. Ijs opponunt & subscribenda proponunt patres Niceni statuta Apostolica, quæ Apost. can. 33. præcipiunt vt siquis Presbyter aut diaconus ab Episcopo suo segregetur, (quod propter aliquem lapsum fiebat) hunc non licere ab alio recipi, (scilicet intra tempus pœnitentiæ præstitutum) sed ab ipso qui eum sequestrauerat, nisi forsitan obierit (intra tempus pœnitētiæ) Episcopus qui eum segregauit. Tunc enim eius successor eum poterat denuo in communionem admittere, & quum hoc in aliquibus casibus propter Presbyteros & Diaconos præciperetur, ex analogiæ regula in alijs casibus ad laicos iure transferri potest. Et sic Patres Niceni illos canones exponebant, & ad finem propositum adducebant, ad dirigendos Catharos. Et quum Catharis præcipiuntur subscribenda dogmata Apostolica, non nouum Testamentum subscribendū proponitur, non enim illud negabant aut subscribere renuebant, sed potius eius prætextu vtebantur ad statuendum falsum suum dogma, ad quod expellendum a Patribus Nicenis assumuntur Apostolorum Ecclesiastica dogmata.

CAP. IX.

Si qui Presbyteri sine examine sunt prouecti, vel cum discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines cō tra canones commoti, manus confessis imponere tentarunt, tales regula non admittit: quia quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia.

CAP. IX.

Si qui sine examinatione promoti sunt Episcopi aut Presbyteri, vel cum discutiuntur, confessi sunt quæ peccauerunt, vel si ab alijs conuincantur, & confitentibus contra canonem homines commoti, manus eis imposuerint, tales canon non suscipit, sed abijcit. Hoc enim quod irreprehensibile est defendit catholica Ecclesia.

Sunt aliqui casus in quibus canones non admittebant homines ad clerum, vt si duas quis haberet vxores, ex 17. can. Apost. & qui pubicum scortum duxisset ex c. 18. Apost. & qui duas sorores etiamsi successiuè duxisset vxores, ex c. 19. Apost. & qui seipsum sponte & temere eunuchizasset ex c. 22. Apost. & similes. Nunc quæri potest, si qui contra hos canones ad clerum sint admissi, negligentia aut conniuentia eorum qui eos examinare debuerunt, num in Clero debeant permanere. Patres Niceni respondent a Clero eos esse abijciendos

ciendos, quoniam quod irreprehensibile est, defendit Catholica Ecclesia, iuxta dictum Apostoli Episcopus sit irreprehensibilis. Ea ratione prospexerunt patres Niceni, ne quid per subreptionem contra sacratissimos fieret canones. Alioqui pessimi nebulones per conniuentiam in clerum intrudi possent, si semel admissi non expellerentur.

CAP. X.

Quicunque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt, per ignorantiam, vel per ordinãtium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præiudicat regulæ, cogniti enim deponantur.

CAP. X.

Quicunque de lapsis ordinati sunt, per ignorantiam aut dissimulationem ordinantium, hoc non præiudicat canoni Ecclesiastico, cogniti enim deponantur.

Si qui lapsi sint in ea vitia, propter quæ canones Ecclesiastici non prohibent aditum ad clerum, & postea promoti sunt nulla facta eorum mentione, quæri potest, si postea hoc innotescat, num ex hoc canone a clero remoueantur. Respondeo non remoueri, loquitur enim canon de ijs qui in ea vitia incidunt, quibus a clero arcentur, si qui enim talis aut per ignorantiam, aut per dissimulationem ordinantium contra canones promoueantur, eorum ignorantia aut dissimulatio non præiudicat canoni, sicut enim eos ad clerum non admitteret canon, sic eos per ignorantiam aut conniuentiam inductos repellit.

CAP. XI.

De his qui præter necessitatem præuaricati sunt, aut propter ablationem facultatum, aut præter periculum, aut aliquid huiusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinij, placuit synodo, quanuis humanitate probentur indigni, tamen eis beneuolentiam commodari. Quicunque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione deijciant, duobus autẽ annis sine oblatione populo in oratione communicent.

CAP. XI.

*De his qui præuaricati sunt præter necessitatem, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel tale aliquid quod factum est sub tyrannide Licinij, placuit sancto Concilio, licet indigni sint, humanitate tamen subuenire eis. Quotquot igitur syncerè pœnitent, tres annos inter audientes sint. Qui lapsi sunt fideles * septem annos incumbant, duobus vero annis sine oblatione, populo communicent in orationibus.*

* sex

Grauissima Dei iudicia proferũtur, Heb. 6. & 10. contra eos qui post acceptam cognitionem peccant volentes, id est præter necessitatem, aut aliam impulsionem, ex quo fit vt hic canon eos venia indignos proferat, qui præter necessitatem sub persequutione Licinij præuaricati sunt. Tamen quia Dei iudicia sunt imperuestigabilia, & interdum igniculus electionis tanquam ignis sub

cineribus occultatus effectus nullos producit. factum est hoc canone vt patres eos noluerint in desperationem conijcere, sed eis tempus & modum pœnitentiæ præscripserint, vt tandem ad sinum Ecclesiæ reuocarentur. De his consulere potes Arelat. 2. c. 10. & 11.

CAP. XII.

Quicunq; vocati per gratiam primũ quidem impetum mõstrauerunt, deponentes militiæ cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita vt quidam & pecunias tribuerent, & beneficijs militiam repeterent, hi decem annis post triennij tempus (quo inter audientes erũt) in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ conuenit explorare. Quotquot enim metu & lacrymis, atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conuersionem suam, non simulationem demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent, postmodum vero licebit Episcopo, de his aliquid humanius cogitare. Quicunque vero indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam, sibi arbitrati sunt ad conuersionem sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

CAP. XII.

Quicunque vocati sunt per gratiam & primordia demonstrantes bona deposuerunt cingulum militiæ, post ea vero ad proprium vomitum reuoluti sunt, ita vt aliqui & pecuniam conferant, & beneficijs militiam repetant, isti decem annos succumbant, post triennium auditionis tempus. Sed in his omnibus oportet discutere voluntatem & speciem pœnitentiæ. Quotquot enim timore & lachrymis & perseuerantia & bonis operibus conuersationem, non simulatione demonstrant, isti adimplentes constitutum tempus auditionis orationibus merito communicabunt, & postea licebit Episcopo, humanius de his aliquid cogitare. Qui autem indiscretè tulerunt, & ingressum sibi sufficere arbitrati sunt ad conuersionem, definitum omne compleant tempus.

Incidi interdum in interpretationem alicuius boni viri, qui huic canoni obijciebat responsum *Johann.* militibus. Neminem concutite, & contenti estote stipendijs vestris. Satis crasse existimabat Patres Nicenos simpliciter bellum damnare aut eos qui a bello veniebant, et rursus ad bellum redibant. At aliud est a bello venire, & aliud deponere militiæ cingulum. Nam qui militiæ cingulum deponit, hoc agit cum protestatione & abiuratione militiæ, vt orationibus operam det, sic interdum Imperatoribus Papæ ademerunt militiæ cingulum & eos in monasteria detruserunt. Si quis vero deponat militiæ cingulum sponte, id est militarem vitam detestatus quietam vitam delegerit, abrenuncians & cum abiuratione deponens cingulum militiæ, etiam cũ voto quietũ coram ecclesia vitæ genus spoponderit, et denuo militiæ cingulum resumat, quod abiurauerat, nonne hoc grauissimum est peccatum? tales erant contra quos hic Canon decernebatur.

CAP.

CAP. XIII.

De his qui ad exitum veniunt, etiã nunc lex antiqua regularisque seruabitur ita, vt si quis egreditur e corpore, vltimo & necessario viatico minime priuetur. Quod si desperatus & consequutus communionem, oblationisque particeps factus, iteru m conualuerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

CAP. XIII.

De exeuntibus de corpore, vetus et canonica lex custodiatur, & nunc vt qui mori speratur, nouissimo innamine non priuentur, si vero desperatus communione sumpta & oblatione percepta, iterum conualescat: Sit inter eos qui orationibus tantum communicant. Generaliter autem homini morituro, petenti sibi communionis gratiam, episcopus probabiliter oblationem ei contradat.

Habes antiquissimum exemplum in Serapione moribundo eucharistiam petente & obtinente, Eccle. hist. *Euseb.* lib. 6. cap. 43.

Quænam vero sit lex quæ hic citatur, nisi fuerit verbalis traditio, prorsus ignoro, eorum humanitatẽ probo, contra vero Eliberinum Concilium detestor qui contra hoc caput multa capita posuit, vt 1. 6. 7. 8. &c. Et ideo inconstantiam *Osij* Cordubensis miror, qui persæpe non dubitauit contrarijs canonibus subscribere, vt huic, et contrarijs Eliberinis, & etiam Sardicensibus quæ contraria sunt Nicenis, & tandem Symbolo *Arrianorum* aduersanti Niceno.

CAP. XIIII.

De catechumenis (lapsis) sancto & magno Concilio placuit, vt tribus annis sint inter audientes tantũmodo, posthæc autem cum cathecumenis orent.

CAP. XIIII.

De catechumenis lapsis placuit sicut & magnæ Synodo, vt triennio tantum audiant, postea orent cum catechumenis.

Mitius agit cum catechumenis lapsis quàm cum alijs, quia tyrones sunt.

CAP. XV.

Propter multam perturbationẽ et seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita vt de Ciuitate ad ciuitatem, non episcopus, nõ presbyter,

CAP. XV.

Propter grandem tumultum et seditiones quæ fiunt, placuit omnimodo auferri consuetudinem quæ est contra canonem in aliquibus partibus admissa, ita vt de ciuitate in ciuitatem nec Episcopum, nec presbyterum

byter, non Diaconus transferatur, si quis autem post definitionem sancti & magni concilij, tale quid agere tentauerit, & se huiusmodi negocio mãciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur ecclesiæ cuius fuit Esiscopus aut Presbyter aut Diaconus ordinatus.

byterum, neque Diaconum, transferre liceat. Si quis autem post sancti et magni Concilij definitionem, tale aliquid agere tentauerit, aut se dederit huiusce modi negotio, cassabitur huiusmodi machinatio, & restituatur ecclesiæ in qua aut Episcopus aut Presbyter aut Diaconus fuerit ordinatus.

Hic corriguntur quædam quæ fiebant contra Canonem, quæri potest contra quem canonem. Huic quæstioni satisfacit *Euseb.* in vita *Constantini*, lib. 3. capitibus 59. et 60. sic enim scribit ad *Euseb*, *Constantinus*. Epistolam tuam legi diligentissime, ex qua ecclesiæ canonem exquisite abs te seruatum intellexi. In his namque persistere, quæ Deo grata, quæque TRADITIONI APOSTOLICÆ consentanea videntur permagnæ pietatis est &c. Hanc Epistolam *Constantinus* scripserat ad *Eusebium* sese excusans de eo quod nollet a sede sua Cæsareensi ad Antiochenam transire. Hæc continentur supradicto cap. 59. et idem *Constantinus* consequenti capite 60. eadem de re ad ipsos Antiochenos scribens, ait, Vestra prudentia ex ecclesiæ canone, et *traditione Apostolica* ita vestram poterit electionem moderari. Iam dico quum *Euseb.* mutare sedem recusaret, huius recusationis causam assignabat Canonem ecclesiæ quem vocant traditionem Apostolicam, cui plane multum tribuit, quum potius ex ea quam ex Concilio Niceno excusationem repetat, etiamsi ipse vnus esset ex patribus Nicenis. At iure poterat ipse traditionem Apostolicam citare, cum Canon 8. *Nicenus* citet etiam dogmata Apostolica. Et ideo Concilium Ephesinum quum illic citetur sicut et hic Canon qui est traditio Apostolica, ait Concilium Nicenum exponere canones Apostolicos. Est autem canon de quo mentio fit et hic & apud *Eusebium* locis sup. citatis 14 canon Apostolorum, vt ab Episcopis aliena ecclesia ne peruadatur. Hic vero eadem regula seuerius traditur quam in ipso canone Apostolico, propter varias perturbationes quibus ecclesia ab *Arrianis* exagitabatur.

CAP XVI.

Quicunque temere aut periculose neque timorem Dei præ oculis habentes, nec ecclesiasticã regulã agnoscentes, discedunt ab ecclesia sibi commissa presbyteri, aut Diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam ecclesiã recipi, sed omnem necessitatem conuenit illis imponi, vt ad suas parochias reuertantur. Quod si non fecerint oportet eos communione priuari, si quis

CAP. XVI.

Hi qui facile se periculis ingerentes, neque timorem Dei ante oculos habentes, neque ecclesiasticũ canonem scientes, discedunt ab ecclesia, Presbyteri aut Diaconi, aut quicunque sunt in canone constituti, isti nullo modo suscipi debent ab ecclesia, sed omnem necessitatẽ imponi oportet, vt ad proprias paroecias reuertantur. Pertinaces autem excommunicatos esse oportet, si autem aliquis ausu temerario subripuerit ad

quis autem ad alium pertinentem, audacter inuadere, et in sua ecclesia ordinare tentauerit, non consentiente episcopo a quo discessit is, qui regulæ mancipatur, ordinatio huiuscemodi irrita comprobetur.

ad alium pertinentem, & ordinauerit in sua eccl·sia, nō consentiente Episcopo, a quo discesserat clericus, qui in canone constituitur, infirma sit huiusmodi manus impositio.

Hic arguuntur ij qui nesciunt canonem ecclesiasticum, et ex locis supra citatis existimo me satis instructum esse hic citari canones ecclesiasticos Apostolorum. Quare hunc canonem desumo ex Apost. can. 15. Vt Clerici proprias ecclesias non relinquant et Apostorum cap. 16. tit. Vt Episcopus qui clericos alterius susceperit communione priuetur, & 36. Quod non liceat Episcopum in aliena parœcia ordinare. Nam eadem est ratio ne clericos alterius parœciæ ordinet.

CAP. XVII.

Quoniam multi sub regula constituti, auaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique diuinæ scripturæ, dicentis: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, mutuum dantes centissimam exigunt iuste censuit sancta et magna Synodus, vt si quis inuētus fuerit post hanc definitionem, vsuras accipiens, aut ex adinuentione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sescupla exigens vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratia, deijciatur a clero et alienus existat a regula.

CAP. XVII.

Quoniam plures in canone constituti, cupiditatem & lucra turpia sectantur, oblitique sacræ scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, cum fœnerantur alijs centesimas exigunt, iuste statuit sanctum & magnum concilium, vt si quis inuentus fuerit post hanc definitionē vsuram accipiens, aut aliud aliquid excogitans turpis lucri gratia, abijciatur a clero & alienus a canone sit.

Hic Canon, sicut et Apost. canon. 44. pendet ex *Psalm.* 15. Idem habetur in Conc. Arelat. 1. cap. 12. & Arelat. 2. cap. 13.

CAP. XVIII.

Peruenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis & ciuitatibus, presbyteris gratiam sacræ cōmunionis Diaconi porrigant, quod nec regula nec consuetudo tradidit, vt ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit

CAP. XVIII.

Peruenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis aut ciuitatibus presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant, quod neque Canon neque consuetudo tradidit, vt qui potestatem offerendi non habens, his qui offerunt corpus Christi *porrigant sed etiam hoc quoque innotuit, quod quidam Diaconi*

tuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua Diaconi mēsura permaneāt, sciētes quod episcoporū quidē ministri sunt, inferiores autē presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut Episco aut presbytero porrigente, sed nec sedere in medio presbyterorum Diaconis liceat, quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debebit.

Diaconi ante Episcopos contingant eucharistiam. Omnia igitur hæc amputentur, & maneant Diaconi in proprio ordine, scientes quod episcoporum quidem ministri sunt, presbyteris autem inferiores existunt accipiant autem ex ordine eucharistiam post presbyteros, eis dante episcopo aut presbytero, sed nec sedere eis in medio presbyterorum liceat. Quod si hoc fiat præter canonem & præter ordinem probatur existere, si quis autem obtemperare noluerit, post hanc definitionē, cesset a Diaconio.

Hic potes notare phrasim offerendi corpus Christi, consonam ijs quæ habentur in canonibus Apostolorum 3. 4. et 5, Eandem phrasim etiam obseruare poteris in Concilio Gangrensi, & Antioch. cap. 5.

CAP. XIX.

De Paulianistis ad ecclesiā catholicam confugientibus definitio prolata est, vt baptizentur omnimodis, si qui autem de his præterito tempore fuerint in clero, siquidem immaculati & irreprehensibiles inuenti fuerint, baptizati, ordinētur ab Episcopo ecclesiæ catholicæ. Quod si discussio incongruos eos inuenerit, abijci tales conueniet. Similiter autem & de Diaconissis & omnino de his qui sub regula versantur, hæc forma seruabitur. Meminimus autem de diaconissis, quæ in eodem habitu esse probātur, quod non habeant manus impositionem, & ideo modis omnibus eas inter laicas deputari.

CAP. XIX.

De Paulianistis refugientibus ad ecclesiam catholicam, definitio prolata est, rebaptizari eos omnino, si quis vero ex eis præterito tempore fuerint in clero, siquidem sine querela et reprehensione fuerint, post baptismum ordinētur ab Episcopo ecclesiæ Catholicæ. Si vero discussio eos minus idoneos inuenerit, deponi eos conuenit, similiter autē et de diaconibus & omnino de his qui sub canone conuersantur, eadem forma seruabitur. Meminimus autem de diaconissis, quæ in eadem specie sunt, quia manus impositionem aliquam non habent, vt omnino inter laicas computentur.

Tempore *Cypriani* Carthaginensis Episcopi & *Cornelij* Papæ, exagitata fuit quæstio de baptizandis hæreticis. Et Conc. Carthaginense sub *Cypriano* censebat rebaptizandos. Contra vero *Cornelius* et cæteri omnes Sacerdotes per *Italiam* huiusmodi decretum manente tamen Sacerdotali concordia refutarunt, statuentes, antiquitus a patribus super hac re traditam regulam de-

debere seruari, quæ continebat, post abiectionem praui, & confessionem recti dogmatis, sola eos manus impositione purgandos. Hæc autem Synodus distinguit Catharos a Paulianistis, et catharos admittit absque rebaptizatione, non autem Paulianistas. Qua in re sequitur sententiā Apost. can. 46. 47.49.et 50.vbi ij qui ecclesiæ baptismate baptizati sunt, denuo nō baptizātur, & qui ecclesiæ baptismo non sunt baptizati, baptizantur. Vide ea quæ nos ibidem exposuimus.

CAP. XX.

Quoniam sunt quidam in die dominico genua flectentes, et in diebus Pentecostes, vt omnia in diuersis locis consona obseruentur, placuit sancto Concilio, stantes vota persoluere.

Tituli capitulorum Gangrens. Concilij.

De his qui nuptias damnant. 1.
De his qui carnes manducantes damnant. 2.
Non debere seruum occasione religionis dominum contemnere. 3.
De oblatione presbyteri coniugati. 4.
De his qui ecclesiæ conuentus spernendos æstimant. 5.
Non debere extra ecclesiam congregari. 6.
De fructibus in ecclesiam & non alibi dandis. 7.
De his qui in vsus pauperum conferuntur. 8.
Virginitati studentem non debere nuptias execrari. 9.
De his qui pro virginitate superbiunt. 10.
Agapen fratrum non debere contemni. 11.
De continentibus et vsu palliorum. 12.
Non debere mulierem continentiæ causa virilem habitum vsurpare. 13.
Non debere contemnentem nuptias a viro discedere. 14.
Non debere quemquam continentiæ causa filios suos negligere. 15.
Ne filij occasione religionis parentes suos despiciant. 16.
Caput tondere mulieri non licere. 17.
Non debere die Dominico ieiunare. 18.
Non licere communia ieiunia soluere. 19.
Communionem in basilicis martyrum non debere damnari. 20.

Ex Socrat.lib. 2. cap. 23.

Eustathius, porro in concilio Gangrensi, propter illum conuocato, postea etiam condemnatus est, quod post abdicationem suam in concilio Cæsareæ habito, factam *preter ritus et consuetudines ecclesiasticas* multa tentasset, nam nuptias fieri prohibuit, a cibis abstinendum docuit. Vnde nonnullos qui nuptias contraxerant, a connubio segregauit, et illis qui ecclesias detestabantur,

persuasit, vt in ædibus suis communionem facerent, seruos simulatione pietatis dominis abstraxit, ipse philosophi habitum gestauit, suosque sectatores peregrino vestitus genere vti compulit, mulieres tondendas curauit, ieiunia præscripta auersanda Dominicisque diebus ieiunandum docuit: in ædibus coniugatorum, precationes fieri vetuit, benedictionem & communionem Presbyteri habentis vxorem, *quam lege cum esset Laicus duxisset*, tanquam scelus declinandum præcepit. Quem quidem cum alia complura his similia fecisset docuissetque, Concilium (vt dixi) Gangris in *Paphlagonia* coactum, gradu episcopali dimouit, eiusque dogmata anathemate damnauit.

Epistola seu prœmium Concilij Grangrensis.

DOminis honorabilibus consacerdotibus in *Armenia* constitutis Episcopis, coepiscopi *Eusebius, Hypatius, Eulalius, Gregorius, Aelianus, Bithynicus Olympius, Bassianus, Basilius, Pphiletus, Heraclius, Pappus, Eugenius, Osius, Cordubensis, Proeresius, Bassus*, qui conuenerunt in Gangrense concilium, in domino salutem. Quoniam conueniens sancta Synodus Episcoporum in ecclesiam Gangrensem propter quasdam ecclesiasticas et necessarias causas inquirendas, & ea quæ secundum *Eustathium* gesta sunt, dinoscenda, inuenit multa fieri indecenter ab his qui *Eustathium* sequuti sunt, necessario statuit, palam omnibus factis, amputare vniuersa quæ ab eodem male commissa sunt. Declaratum est enim hos eosdem nuptias accusare, et docere quod nullus in coniugali positus gradu, spem habeat apud Deum. Vnde factum est, vt mulieres multæ seductæ, relictis proprijs viris, & viri vxoribus destitutis, vinculum coniugale dissoluerint, continentiam profitentes: quam cum retinere non possent, adulterium commiserunt. Inuenti enim sunt, discessiones ac separationes in dominicis ecclesiis docere, id est TRADITIONES ECCLESIASTICAS, & ea quæ in ecclesijs aguntur, debere contemni, priuatisque conuenticulis institutis ad imitationem eorum quæ in domo Dei aguntur, omnia præsumere celebrare: Adhuc etiam vestibus communibus spretis, nouos etiã et insolitos habitus assumpsisse. Primitias quoque fructuum, & oblationes eorum, quas VETERVM INSTITVTIO ecclesijs tribuit, sibimet vindicasse, id est, propria ratiocinatione doctrinæ, tanquam sanctis, sibi eas offerri debere, apud se & inter se dispensandas, seruos a dominis recedentes, per hunc inusitatum religionis suæ habitum, sub specie religionis, dominos contempsisse: Mulieres quoque præter consuetudinem & sui sexus ornatum, hinc se iustificari credentes, virilem habitum suscepisse, pluresque earum, occasione religionis tonsas, genuini decoris comas penitus amputasse: Ieiunia quæ in ecclesia prædicantur, contemnenda asseruisse. Nonnullos eorum, etiam cibos carnium tanquam illicitos reputasse. In domibus coniugatorum, nec orationes quidem debere celebrari, persuasisse in tantum, vt easdem fieri vetent, & oblationibus, quæ in domibus factæ fuerint, minime communicandum esse decernant. Presbyteros vero qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt, nec sacramenta, quæ ab eis conficiuntur, attingi. Loca sanctorum martyrum

tyrum vel basilicas contemnere, & omnes qui illuc conueniunt, et sacramenta conficiunt, reprehendere: Diuites fideles, qui non omnibus renunciant quæ possident, spem apud Deum non habere, et multa alia quæ enumerare nulli possibile est. singulos quoque eorum pro suo arbitrio constituere. Vnusquisque enim eorum per tales institutiones ab ECCLESIASTICO CANONE recessit, tanquã proprias leges sibimet condidisse præsumens. Sed nec communis his omnibus et vna sententia est. Singuli enim prout videtur & libet, ad accusationem ecclesiæ nitendo, tanquam rector non sit, vel ADDVNT DECRETA vel MINVVNT. Propterea ergo coactum est hoc concilium, in Gangrensi ecclesia habitum, vt CANONES istos exPONERET, quibus PROBANTVR memorati extra ecclesiam esse. Quod si per pœnitentiam condemnauerint omnia hæc, quæ male senserunt, tanquam a se non bene prolata, acceptabiles fiant, atque ideo singula quæ debeant condemnare Synodus credidit exponenda. Quod si quis renuerit, hæc quæ hodie constituta sunt, tanquam hæreticus et anathematizatus & damnatus abijciatur. Et erit non solum incommunicatus, verum etiam & ab ecclesia habeatur extorris, donec deprecetur Episcopos, & de vniuersis quæ penes eos detecta atque deprehensa sunt, prouiderit, quid horum sit obseruandum.

Capitula Concilij Gangrensis.

CAP. I.

Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.

Pendet hic canon ex Apost. can. 48. & Matth. 5. & s.

CAP. II.

Si quis carnem edentem, præter sanguinem, & idolis immolatum, & suffocatum, cum religione & fide condemnat, velut spem propter huiusmodi perceptionem non habentem, anathema sit.

Nititur hoc caput Act. 15. & 1. Tim. 4. vbi ij qui vsum ciborum vetant, doctrinas dæmoniorum docere prædicuntur, quorum quidem author fuit, Eustathius hæreticus, qui primus vsum carnium prohibuit, & hunc sequutus Antichristus, eos qui carnem comedebant damnauit, & igne cremauit.

CAP. III.

Si quis seruum, prætextu diuini cultus doceat Dominũ contemnere propriũ, vt discedat ab eius obsequio, nec ei cum beneuolentia & omni honore deseruiat, anathema sit.

Nititur hic canon scriptura Ephes. 6. 5. Coloss. 2. 22. Tit. 2. 9. & 1. Pet. 2. 18.

CAP. IIII.

Si quis discernat Presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstineat, anathema sit.

Omnium Conciliorum generalium celeberrima & sanctissima sunt Nicenum & Ephesinum, omnium particularium conciliorum celeberrima sunt, Gangrense & Antiochenum. Et hæc quatuor concilia præ cæteris omnibus recta constituerunt, & egregia docuerunt. Atque inter cætera hoc quidem concilium superius in Epistola ad Episcopos Armeniæ multa notatu dignissima cõtinet. Ac primùm arguit eos qui discessiones & separationes in Ecclesia faciunt, & Ecclesiasticas traditiones contemnunt, & qui contra veterum institutionem primitias distrahunt, sicut Aurelianense concilium antiquos canones primitias concernentes citat, cap. 16. & 17. Eos quoque condemnat qui ab Ecclesiastico canone recedunt, proprias leges sibi constituere præsumentes, contra eos qui nouas traditiones condunt, & qui decreta addunt vel minuunt. Quod nefas esse deberet, Apostolicis enim traditionibus contenti esse deberemus. Tandem aiunt se canones exponere quibus probant eos qui contraria faciunt, extra Ecclesiam esse. Quinam sunt illi canones quos ipsi exponunt ad illud probandum? Hoc ipsi in epilogo docent, cum aiunt se condemnare eos qui se extollunt aduersus scripturas & Ecclesiasticos canones. Quod iterum exponentes aiunt cũ inquiunt se exoptare vt omnia in Ecclesia fiant quæ conueniunt TRADITIONIB. APOSTOLICIS & sanctarum Scripturarum præceptis. Quis fuit author huius decreti quæso? certe Spiritus Sanctus proponit Apocalypsis arundinem auream qua mensurata est Ierusalem cœlestis, non potest exhiberi calamus aureus præciosior hoc vt demõstrentur ex Scriptura sacra & Ecclesiasticis canonibus qui sint traditiones Apostolicæ. Et ideo, cum ego videam hos Patres nihil aliud sibi proposuisse, quam sequi scripturam sacram & traditiones Apostolicas, quas Conc. Nicen. c. 8. vocat dogmata Apostolica, & *Eusebius* vocat traditiones Apostolorum, & *Aurelius* Carthaginensis canones Apostolorum, sequutus suggestiones Episcoporum *Cypri* in Concilio Ephesino, ideo ego hos canones expono ex verbo Dei & canonibus Apostolorum.

Interim obseruandum est Socratem in loco quem superius adduximus, asserere hos Patres Gãgrenses damnare ea quæ fiebant ab Eustathio præter ritus & consuetudines Ecclesiasticas, quod falsum quidem est, nam Patres Gangrenses citant quidem mulierum consuetudinem, at consuetudines Ecclesiasticas nusquam citant, & de illis nullam faciunt mentionem: exponunt scripturas, deinde regulas Ecclesiasticas seu Ecclesiasticos canones, quos vocant traditiones Apostolicas, at longe differunt regulæ a consuetudinibus: Hoc vnum falsum induxit, secundum, quod in eo obseruari debet, est, quod ait *Eustathium* ideo damnari quod benedictionem & communionem Presbyteri habentis vxorem, quam cum laicus esset, duxisset, tanquam scelus declinandum præcepisset, hoc etiam additum est ex eius falsa interpretatione. Nam tam ex proœmio, quam ex hoc 4. canone apparet eos nõ loqui de Presbyteris,

byteris tantum qui vxorati erant antequam ordinarentur, sed generaliter de Presbyteris vxoratis, seu ante seu post ordinationem absque vlla astrictrione, & mirum Socratem hoc ex suo ita temere adiecisse, quod ex eo quidem est quod ipse sic falso exponebat 27. can. Apostolorum & ad eius falsam expositionem detorquebat hoc concilium, & consimili falsitate detorquebat sententiam Paphnutij in Concilio Niceno prolatam in fauorem nuptiarum Presbyterorum, & sic eam in odium nuptiarum Presbyterorum deducit, contra mentem Paphnutij quæ in eo satis apparet, quod nuptias castitatem vocat. At *Socrates* eius sententiam refert iuxta eius falsam explicationem 27. can. Apost. Et eum secutus *Sozomenus* eandem expositionem sequitur. At nos sequuti sumus mentem Paphnutij, & huius Concilij, & non contrariam expositionem horum historicorum qui illum 27. can. Apostolorum detorquent ad doctrinam dæmoniorum damnatam. 1. Tim. 4.

CAP. V.

Si quis docet domum Dei contemptibilem esse, & conuentus qui in ea celebrantur, anathema sit.

CAP VI.

Si quis extra Ecclesiam priuatim populos congregans contemnat ECCLESIASTICAS SANCTIONES, *aliterque ea quæ sunt Ecclesiæ, voluerit vsurpare, non conueniente Presbytero, iuxta decretum Episcopi ipsamque Ecclesiam apud se, sine consilio Episcopi, cum Presbytero agat, anathema sit.*

Citantur hic Ecclesiasticæ sanctiones, quæso quænam sunt illæ? cum superius damnauerint in proemio eos qui decreta addunt vel minuunt? Eæ sunt quæ in epilogo vocantur canones Ecclesiastici & traditiones Apostolicæ, scilicet canones Apostolici, vt 32. & 40. ex quibus hi duo 5. & 6. Gangren. sunt desumpti, non ergo volunt Patres Gangrenses decreta addere aut minuere, sed exponere decreta Apostolica contenta tam in Scriptura sacra quàm in canonib. Apostolorum.

CAP. VII.

Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit,

Pendet ex 4. can. Apost.

CAP. VIII.

Si quis dederit vel acceperit oblata præter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit.

Pendet ex 7. can. Apost.

CAP.

CAP. IX.

Quicunque virginitatem custodiens, aut continentiæ studens, velut horrescens nuptias temerat, nec propter hoc, quod bonum & sanctum est, nomen virginitatis assumit, anathema sit.

CAP. X.

Si quis ex his qui virginitatem propter Dominum seruant, extollitur aduersum coniugatos, anathema sit.

Pendent hi duo canones ex Heb. 13. 4.

CAP. XI.

Si quis despicit eos, qui fideliter agapes, id est conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei congregant fratres, & noluerit communicare huiuscemodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit.

Pendet ex Epist. Iud. vers. 12.

CAP. XII.

Si quis virorum propter continentiam quæ putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens, & despicit eos qui cum reuerentia byrrhis & alijs communibus & solitis vtuntur, anathema sit.

Hoc ad monachos spectat iustitiam in superstitioso, & plane phantastico habitu constituentes.

CAP. XIII.

Si qua mulier propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.

Pendet ex Deut. 22. 5.

CAP. XIIII.

Si qua mulier virum proprium relinquens discedere voluerit, nuptias execrans, anathema sit.

Vide Apost. can. 48. Hic enim canon est illius conuersus, quoniam eadem est ratio vxoris deserentis maritum & viri deserentis coniugem.

CAP. XV.

Si quis suos relinquens non eos enutrit, & quod ad se pertinet, non ad pietatem diuini cultus informat, sed per occasionem continentiæ negligit, anathema sit.

Pendet ex Ephes. 4. 6. 1. Tim. 3. & c. 5.

CAP. XVI.

Quicunque filij a parentibus, prætextu diuini cultus abscedunt, nec debitam reuerentiam dependunt illis, qui diuinum cultum sibi procul dubio præferunt, anathema sit.

Pendet ex Exod. 20. Math. 15. Ephes. 6. Coloss. 3. 20.

CAP. XVII.

Si qua mulier propter diuinum cultum (vt æstimat) crines attondeat, quos ei Deus ad subiectionis materiam tribuit, tanquam præceptum dissoluens obedientiæ, anathema sit.

Ait D. *Paulus* gloriam mulieris esse si crines nutriat, tamen mulieres debere orare velato capite, quod si nolint tondeantur, & si turpe sit, vt est, vt tondeantur, ergo orent velato capite. Quod vero videtur concedere vt mulier tondeatur, non concedit, sed hoc extremum indecorum assumit, vt ab eo illas adducat ad id vt orent capite velato. 1. Cor. 11.

CAP. XVIII.

Si quis propter continentiam quæ putatur, aut contumaciam in die Dominico ieiunat, anathema sit.

Festum Christianorum cum sit dies Dominicus non debet in ieiunium conuerti nisi extrema vrgente necessitate, quando Deus puniens peccata nostra conuertit festa in luctum Amos, 8. 10.

CAP. XIX.

Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune ieiunia & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissoluit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

Posset quispiam existimare Patres Gangrenses hic commendare ieiunium quadragesimale, at cum ipsi traditionibus Apostolicis niterentur, nihil tale cogitabant, tempore enim Apostolorum talia ieiunia non fuisse comprobata satis probat *Ireneus* Primas Galliarum, ad victorem Romanum Episcopum scribens de dissensione exorta circa celebrationem diei paschatis, apud *Euseb.* Lib. 5. c. 23. hæc scribit. Non enim de die tantum discrepatio est, sed & de ipsa specie ieiunij. Siquidem alij vnum sibi diem ieiunandum esse putant, alij duos, alij plures, alij quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes, diem suum statuunt. Et ista iejunantium varietas, non nostro demum tempore, sed multo antea per illos cœpit, qui ante nos præter accuratam diligentiam, vt verosimile est, rerum habenis potiti, simplicem & vulgatam consuetudinem posthabuerunt, ac mutarunt. Hæc *Ireneus*, vbi de quadragesimali ieiunio nullam prorsus facit mentionem, nisi forte quadraginta horas pro quadraginta diebus sumas. At cum tenebræ seculi Antichristiani cœperunt inualescere,

ualescere, tunc de hoc ieiunio aliter disputatum fuit apud *Socratem* Lib. 5. c 21. Ieiuniorum rationem, quæ ante Pascha fiunt, aliter ab alijs obseruatam esse, facile est reperire. Nam qui sunt Romæ tres septimanas ante Pascha, Sabbatho & Dominico exceptis simul ieiunant, qui autem in Illyria & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante sex septimanas, ieiunia quæ ante Pascha fiunt, ordiuntur, illudque tempus quadragesimam nuncupant. Alij præter horum consuetudinem, septem septimanas ante illud festum initium iejunandi facientes, quanuis quindecim dies solum, quibusdam interuallis interpositis, ieiunent, nihilominus tamen tempus illud quadragesimam vocant. Vnde non mediocris me capit admiratio, qua ratione isti, licet de numero dierum dissentiant, omnes eodem nomine quadragesimam appellent. Alij aliam causam huius nominis suopte ingenio excogitatam tradunt. Quinetiam non de numero dierum solum discrepant, verum etiam de abstinentia a cibis, variam sequuntur rationem. Nam alij omnino ab omni animantium genere abstinent, alij inter animantia, pisces solos comedunt, alij cum piscibus volucres etiam manducant, easque ex aqua (vt est apud *Mosem*) nasci asserunt. Alij a fructibus duris integumentis inuolutis, & ab ouis temperant, alij arido pane solo vescuntur, alij ne illo quidem. Sunt qui cum ad horam nonam ieiunauerint, varijs ciborum generibus vtuntur. Alia ratione apud alias gentes ieiunatur; cuius rei sunt causæ prope infinitæ. Ac quoniam nemo de ea præceptum literarum monumentis proditum, potest ostendere: perspicuum est Apostolos liberam potestatem in eadem cuiusque menti & arbitrio permisisse, vt quisque nec metu, nec necessitate inductus, quod bonum sit ageret. Hæc *Socrates*. At Pontifices Romani hominum conscientias astringunt, hoc non est Apostolos imitari, & libertatem Christianam tueri, sed Antichristiano iugo filios Ierusalem, & filios *Saræ* liberæ premere. Porro de tali ieiunio non loquuntur Patres Gangrenses, nec de abstinentia carnium, quam expresso canone in Eustathio damnant, sup. c. 2. Nota interim apud Romanos tempore *Socratis* quadragesimam non fuisse plurium quam trium septimanarum, & eos excepisse diem Sabbathi, in ipsa quadragesima, nunc vero etiam extra quadragesimam die Sabbathi ieiunant & a carnibus abstinent. Ita fit apud eos quibus Deus huius mundi excæcauit oculos.

CAP. XX.

Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca & basilicas sanctorum martyrum fiunt, vel accusauerit, vel oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas, anathema sit.

Pium fuit in basilicis, sanctorum martyrum & confessorum memoriam celebrare, vt alij eorum exemplo mori pro Christo gloriosum esse noscent. At Antichristus ea omnia quæ prius piè agebantur in superstitionem conuertit, & induxit præces & oblationes pro defunctis, quæ nec ex Dei verbo, nec ex antiquorum patrum traditionibus sunt.

Epilogus,

Epilogus, 16. Episcoporum subscribentium.

Hæc autem scripsimus non abscindentes eos, qui in Ecclesia Dei secundum scripturas sanctorum, propositum continentiæ eligunt, sed eos qui suscipiunt habitum eius, & in superbiam efferuntur, aduersus eos qui simplicius viuunt, sed & hos condemnamus qui se extollunt aduersus Scripturas & ECCLESIASTICOS CANONES, *& noua introducunt præcepta.* Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam cum castitate & religione, Deo acceptissimam dicimus, & renunciationem secularium negotiorum, atque actuum, cum humilitate approbando, laudamus, & nuptiarum vinculum, quod secundum castitatem secum perdurat, honoramus, & diuites cum iustitia & operibus bonis non abijcimus, & parsimoniam, cum veste humili, non reprobamus, sicut etiam ornatum, præter corporis diligentiam infucatum, laudamus. Dissolutos autem & fractos in vestibus incessus, non recipimus, & domos Dei honoramus, & conuentus qui in his fiunt, tanquam sanctos & vtiles recipimus, pietatem in priuatis domibus non concludentes. Omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem in Ecclesia factam ad vtilitatem communem, recipimus, & bona opera quæ iuxta vires in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas traditiones beatificamus, & omnia quæ cōueniunt TRADITIONIBVS APOSTOLICIS, & SANCTARVM SCRIPTVRARVM præceptis, in Ecclesia fieri exoptamus.

Stephanus Papa in Epistola decretali ad *Hilarium* Episcopum in 1. volum. Concil. commendat statuta Apostolorum, & successorum eorum. Patres Gangrenses melius sentiunt qui exoptant vt tantum traditiones Apostolicæ & Scripturæ sacræ obseruentur: hæc fuit mens Patrum Gangrensium, & in eis apparet mens Nicenorum & Antiochenorum, at voluntas Pontificum Romanorum contra fuit statuendi sua noua decreta, vt suæ ambitioni satisfacerent, ideo etiam in errores Eustathij inciderunt, damnantes nuptias Presbyterorum, & esum carnium, & probantes monachales inusitatos habitus & similia inepta quamplurima.

CAP. VI.

Tituli canonum Antiocheni Concilij.

De his qui contra gerunt his, quæ regulariter de Pascha, statuta sunt in Niceno Concilio. 1

De his qui se a perceptione sanctæ communionis auertunt, & qui excommunicatis, per domos communicant. 2

De his qui ab alia parœcia præter conscientiam Episcoporum suorum, in alijs immorantur. 3

De damnatis & ministrare tentantibus. 4

De his qui se a ministerio Ecclesiastico subtrahunt & seorsum colligunt. 5

Antiocheni Concilij.

CAP. I.

Omnes qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum est, sub præsentia pijssimi & venerandi principis Constantini, de salutifera solemnitate sacratissimæ Paschæ, excommunicandos & de ecclesia pellendos esse censemus, si tamen aduersus ea, quæ bene sunt decreta persliterint, & hæc quidem de laicis dicta sint. Si quis autem eorum qui præesse noscuntur ecclesiæ, aut episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, post hanc definitionem tentauerit, ad subuersionem populorum, ecclesiarumque perturbationem seorsum colligere, & cum Iudæis Pascha celebrare, sancta synodus hunc alienum iam hinc ab ecclesia iudicauit, quod non solum sibi, sed & plurimis, causa corruptionis & perturbationis extiterit. Nec solum tales a ministerio remouet, sed etiam illos qui post damnationem huius communicare tentauerint, damnatos autem omni extrinsecus honore priuari, quem sancta regula & sacerdotium Dei promeruit.

Hoc decretum plura continet membra, primum est decretum Paschatis, quod vno eodemque tempore debeat celebrari apud omnes Christianos, iuxta decretum Concilij Niceni. Quod decretum Latius fuit expositum a *Theophilo Alexandrino* Episcopo, in quadam Epistola quam citat *Isidorus* in præfatione ad opus Conciliorum his verbis. Vt scilicet ab 8. idus Martij, vsque in nonarum diem Aprilis, diebus scilicet 28. qualiscunque luna nata fuerit, in quolibet medio spatio facere initium primi mensis, quartamdecimam vero

a 12. Kalend Aprilis, vsque in 18. Kalend. Maij, solerter inquiri, & si die Sabbathorum inciderit, consequi die Dominico, id est Luna 15. Pascha celebrari, & si die Dominico Luna 13. eiusdem mensis euenerit, ipsa hebdomada transmissa, in alterum diem Dominicum Pascha sine dubio celebrare. Cuius decreti etiam mentio fit in Epistola Niceni Concilij ad Ecclesias Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos. Secundum quod potest obseruari, est, quod nolit Pascha cum Iudæis celebrari, quod videtur desumptum ex can. 8. Apostolorum. Nam generaliter hoc probauimus superius. Scilicet Patres Nicenos in his tribus Concilijs: videlicet Niceno, Gangrensi, & Antiocheno sibi proposuisse obseruationem canonum Apostolorum. Tertium membrum obseruandum est quod hi damnantur, qui Ecclesias seorsim colligunt, qui etiam damnantur Gangrensi can. 6. quod a Patribus Gangrensibus dicitur esse contra sanctiones Ecclesiasticas, vt etiam est contra can. 32. Apostolorum. Quartum membrum notandum est, quod non solum hos excommunicat, qui talia perpetrant, sed etiam eos qui cum illis communicant, quod desumitur ex canonibus Apostolorum 11. 12. & 45. in quibus prohibetur cum excommunicatis & hæreticis communicare. Et ita hic canon videtur niti quinque canonibus Apostolicis. Scilicet 8. 9. 11. 12. 32. & 45.

CAP. I.

Omnes qui ingrediuntur ecclesiam Dei, et scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione sanctæ communionis auertunt, hi de ecclesia remoueantur, donec per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur. Cum excommunicatis autem non liceat communicare, nec cum his, qui per domos conueniunt, deuitantes orationes ecclesiæ simul orandum est, ab alia quoque ecclesia non suscipiendum, qui in alia minime congregatur, si quis autem de episcopis, aut presbyteris, vel Diaconis, seu quolibet ex clero, deprehensus fuerit, cum excommunicatis communicare, etiam et iste priuetur communione, tanquam qui regulas confundat ecclesiæ.

In hoc capite multa quoque comprehenduntur, ac primum latius explicat vnum ex canon. Apostolicis, qui est 10. qui præcipit omnes fideles qui ingrediuntur ecclesiã, & scripturas audiunt, non autẽ perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiæ commouentes, communione priuari, & si hoc fidelibus minime permittatur multo minus Clericis, ex can. Apostolorum. Secundum caput huius canonis est, quod cum excommunicatis non liceat communicare. Hoc membrum desumitur ex can Apostolorum 11. et 12. Tertio ait orandum non esse cum ijs, qui per domos conueniunt, deuitantes orationes ecclesiæ, hi sunt enim schismatici & hæretici, huius Canonis authoritas pendet ex Canone Apostolorum 45. Quarto ait ab alia ecclesia non suscipiendum, qui in alia minime congregatur. Pendet hoc ex 13. Can. Apostolorum quod inferius cap. 7. clarius exponetur. Quinto ait Episcopos Presbyteros, & Diaconos qui cum excommunicatis communicauerint, communione priuandos, pendet et hoc membrum ex 16. Canone Apostolorum, subijcit autem rationem, quia inquit

regulas ecclesiæ confundit. Quænam sunt illæ regulæ ecclesiæ? Ex Euseb. & Concilio Gangrensi superius demonstratum est, Patres Nicenos in ijs tribus Concilijs intelligere Canones Apostolorum. Ergo merito hic adduximus ad expositionem huius capitis, Canonones Apostolorum 9. 10. 11. 12. 13. 16. & 45.

CAP. III.

Si quis presbyter aut diaconus, aut omnino quilibet ex clero, parœciam propriam deserens, ad aliam properauerit, vel omnino demigrans, in alia parœcia per multa tempora nititur immorari, vlterius ibidem non ministret, maxime si vocanti suo episcopo, & regredi ad propriam parœciam commonenti, obedire contempserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, a ministerio modis omnibus remoueatur, ita vt nequaquam locum restitutionis inueniat. Si vero pro hac causa damnatum alter episcopus suscipiat, hic etiam a communi coerceatur Synodo, velut quia ecclesiastica instituta dissoluat.

Pendet hic Canon ex canonibus Apostolorum 15.16.33.& 34. Hic similiter damnat Episcopum suscipientem damnatum, quia & dissoluit ecclesiastica statuta, scilicet Canones Apost. vt sup. docuimus.

CAP. IIII.

Si quis episcopus damnatus a Synodo, vel presbyter aut Diaconus, a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, siue episcopus iuxta præcedentem consuetudinem, siue presbyter aut diaconus, nullo modo liceat, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed communicantes ei omnes abijci de ecclesia, et maxime si posteaquam didicerint aduersum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint.

Pendet hoc caput ex 29, canone Apostolorum.

CAP. V.

Si quis presbyter aut diaconus, episcopum proprium contemnens, se ab ecclesia sequestrauit, et seorsum colligens, altare constituit, et commonenti episcopo, non acquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit, semel et iterum conuocati, hic damnetur omni modo, nec vltra remedium consequatur, quia suam non potest recipere dignitatem. Quod si ecclesiam conturbare et solicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates externas opprimatur.

Hic loquitur de erectione altaris, iuxta phrasim a nobis expositam Apostol. Canon. 31.

Quænam fuerit mens horum patrum Nicenorum, (nam Nicenos voco etiam Gangrenses & Antiochenos patres, quoniam ex patribus Nicenis erant.) Apparet ex epistola Concilij Gangrensis vbi asserunt se exponere regulas ecclesiasticas, desumptas ex scriptura sacra & traditionibus Apostolorum quæ sunt Canones Apostolici. Quod etiam apparuit ex præcedenti capite, & ex hoc & similibus. In capite præcedenti dico, quia cum can. 29. Apostolorum

dicat eos qui iuste super certis criminibus depositi sunt clericos si attrectare ausi sint pristinum officium penitus abscindendos esse canon præcedens hoc exponens constituit. eos non debere spem habere vt restituantur: Subijcit quoque eos qui cum eo communicant esse excommunicandos, videlicet ex Can. 33. Apostolorum. At hoc exponit. Si ij qui cum eo communicant didicerint sententiam contra eum esse latam. In hoc vero canone 5. Si quis seorsim ab Episcopo congreget ecclesiam et altare constituat, damnatur, iuxta Apostolorum canon. 32. Sed hoc exponitur, Si vocanti & monenti Episcopo non acquieuerit, & obediuerit. Ait quoque eum qui ecclesiam conturbare persistit, tanquam seditiosum per potestates exteras opprimi debere, hoc videtur desumptum esse à *Deut.* cap. 17. vbi is qui non vult obedire sententiæ summi sacerdotis, traditur morti per iudicem seu magistratum Ciuilem.

CAP. VI.

Si quis a proprio Episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab alijs quam suo reconcilietur Episcopo, aut certe ad Synodum quæ congregatur, occurrens, pro se satisfaciat, & persuadens concilio, sententiam suscipiat alteram. Hæc autem definitio manet circa Laicos et Presbyteros, & Diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur.

Hic Canon exponit 33. Canonem Apostolorum.

CAP. VII.

Nullus peregrinorum sine pacificis, id est *commendatitijs suscipiatur Epistolis.*

Hic Canon prohibet suscipere quoslibet peregrinos, non solum Laicos, sed etiam Clericos, quare desumitur ex Apost. Canonibus. 13. & 34.

CAP. VIII.

Presbyteri qui sunt in agris, canonicas literas dare non possunt, ad solos tantum vicinos episcopos literas destinabunt. Chorepiscopi autem qui sunt irreprehensibiles possunt pacificas, id est generales epistolas dare.

Præcipiunt Canones Apostolorũ neminem recipere, sine commendatitijs Epistolis, at ad quos pertineat eas dirigere, non exponunt, nec de chorepiscopis mentionem faciunt. Commendatitiæ Epistolæ præcipiuntur Apostolorum Canonibus 13. & 34.

CAP. IX.

Per singulas prouincias Episcopos conuenit nosse Metropolitanum episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrant. Vnde placuit, eum et honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundum antiquum patrum nostrorum canonem, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subiectas.

Vnusquisque

Vnusquisque enim episcopus, habeat sua parœciæ potestatem, vt regat iuxta reuerentiam, singulis competentem; et prouidētiam gerat, omnis possessionis quæ sub eius est potestate, ita vt presbyteros et Diaconos ordinet, et singula suo iudicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet, præter Episcopi metropolitani conscientiam, nec metropolitanus sine cæterorum gerat consilio Sacerdotum.

Hic Canon 9. metropolitanis seruat iura sua pristina sicut 6. can. Nicenus, ex quo posset aliquis mirari hoc decretū potius niti antiquo patrum Can. pro fundamento suo, quam antiqua consuetudine citata 6. can. Niceno, aut recente illo canone Niceno. quem proculdubio nec ignorabant Patres Antiocheni, cum essent ex Nicenis patribus fere omnes, nec contemnebant, vt apparet ex 1. cap. huius Concilij. Causa huius rei est, quod in Concilio Niceno non simpliciter agitur de iure metropolitanorum, nam hoc pendet ex certis regulis, non ex consuetudine, at quod hic metropolitanus aut ille, præsit huic aut illi prouinciæ aut ciuitati, vt quod *Alexandrinus* præsit non modo Ægypto, sed *Lybyægyptijs* et *Pentapoli*, hoc pendebat ex consuetudine, quæ erat secundum Canones. Patres Niceni igitur citabant consuetudinem non tamē anomalon aut anomon. Sed quæ erat secundum Canones Ecclesiasticos quos ipsi sæpe citant, et secundum traditiones Apostolicas, quas ipsi inducunt contra Cattharos, Can. 8. Niceno. Et hoc capite docetur Canon quo nitebatur consuetudo illa quam confirmat 6. cap. Nicenum, cum hic citatur Canon Patrum, seu Canon a patribus traditum, quæro enim quinam erant illi Patres quibus Antiocheni patres tantum tribuunt, vt eorum canonem potius citent quam Nicenum. Ij sunt de quibus loquitur *Augustinus* Tom. 7. *Psalm.* 44. sub finem. Genuerunt te Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi Patres. Ij igitur sunt patres quorū hic mentio fit, videlicet Apostoli, nec mirum si eorum Canones inducantur potius quam Niceni. Nam et patres Niceni eos sæpe citant nominatim vero cap. 8. Et in ipso capite sexto custodientes ius cuiusque metropolitani secundum Apostolorum canonem qui hic citatur, dicuntur exposuisse Canones Apostolorum in suggestionibus Episcoporum *Cypri* in Concilio Ephesino. Ita in vita *Constantini* lib. 3. cap. 59. et 60. & *Euseb.* & *Constantinus* magnus malunt citare traditionem Apostolorum vt ab Episcopis aliena parœcia ne peruadatur, quæ traditio Apostolica est 14. can Apostolorum, quàm citare 15. Canonem Nicenum, qui idem prohibet, nam et idem 15. canon Nicenus citat Canonem, qui est eadem traditio Apostolorum quam *Eusebius* & *Constantinus* citant. Consimili ratione & patres Gangrenses qui ex Nicenis erant, etiam Canones ecclesiasticos sæpissime citant, quos postea nominatim exponunt traditiones Apostolicas. Ita vt familiare esset patribus qui Niceno interfuerant Concilio, citare Apostolicos Canones. Et hic Canon manifeste desumptus est ex 35. Can. Apostolorum.

CAP. X.

Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint & vt episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit

quis ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subiectas ecclesias earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam lectores & Subdiaconos, atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter ciuitatis episcopum, cui ipse cum possessione subiectus est, si quis autem transgredi statuta tentauerit, depositus quo vtebatur honore priuetur. Chorepiscopum vero ciuitatis episcopus ordinet, cui ille subiectus est.

Chorepiscopis hic permittit ordinare Lectores. At Apostolorum Canones etiam si Lectorum sicut et cantorum mentionem faciant, tamen ad quem pertineat eorum ordinatio non exponunt. Hoc veluti relinquentes arbitrio episcopi aut Conciliorum, quæ bis in anno celebari iubentur.

CAP. XI.

Si quis episcopus aut presbyter aut Diaconus aut quilibet regulæ subiectus ecclesiæ, præter concilium & literas episcoporum prouinciæ, & præcipue metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abijci oportere, non solum a communione, verum & ab honore in quo videbatur existere. Quia venerandi principis auribus, molestiam tentauit inferre contra leges ecclesiæ, si igitur adire Principem, necessaria de causa posuit, hoc agatur cum concilio metropolitani, & cæterorum episcoporum, qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

Dicit, si quis Imperatorem adeat, eum contra leges ecclesiasticas Imperatoris auribus molestiam inferre tentare. Quæritur quænam sunt illæ leges ecclesiasticæ in quibus hoc prohibetur? scilicet Canones Apostolorum, qui Can. 31. prohibent ne quis Episcopus seculari vsus potestate ecclesiam peruadat. Illum ergo Canonem Apostolorum hic canon Antiochenus sicut & subsequens exponit.

CAP. XII.

Si quis a proprio episcopo presbyter aut diaconus, aut a Synodo fuerit episcopus formate damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad maius episcoporum conuerti concilium, & quæ putauerint habere iusta, plurimis episcopis suggerant, eorumque discussiones ac iudicia præstolentur. Si vero hæc parui pendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus experiri iudicamus.

Huius et superioris Canonis eadem est ratio et idem fundamentum.

CAP. XIII.

Nullus episcopus ex alia prouincia, ad aliam transgredi, & ad promotionem ministeri, aliquos in eccclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli nisi literis tam metropolitani quam cæterorum, qui cum eo sunt, episcoporum rogatus aduenias, &

ſic ad actionẽ ordinationis accedat. Si vero nullo vocante, inordinato more, deproperet ſuper aliquibus ordinationibus, & eccleſiaſticis negotijs, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur, exiſtant, ipſe vero incompoſiti motus ſui, et irrationabilis audaciæ ſubeat vltionem, ex hoc iam damnatus a ſancto Concilio.

Exponit hic Canon 36. Canon. Apoſtolorum.

CAP. XIIII.

Si quis Epiſcopus de certis criminibus iudicetur, & contingat de eo comprouinciales epiſcopos diſſidere, cum iudicatus ab alijs innocens creditur, reus ab alijs exiſtimatur, pro totius huius ambiguitatis abſolutione, ſanctæ ſynodo placuit, vt Metropolitanus epiſcopus a vicina prouincia iudices alios conuocet, qui controuerſiam tollant vt per eos ſimul & per comprouinciales Epiſcopos, quod iuſtum viſum fuerit approbetur.

CAP. XV.

Si quis epiſcopus de certis criminibus accuſatus condemnetur ab omnibus epiſcopis eiuſdem prouinciæ, cunctiq; conſonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum prouinciæ manere ſententiam.

CAP XVI.

Si quis epiſcopus vacans in eccleſiam vacantem proſiliat, ſedemque peruadat, abſq; integro perfectoque concilio, hic abijciatur neceſſe eſt, etſi cunctus populus quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum vero Concilium illud eſt, vbi interfuit epiſcopus Metropolitanus.

Primus Canon Apoſtolorũ præcipit vt Epiſcopus a duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur. Mens Apoſtolorum erat, vt ſi fieri poſſet a tribus ordinaretur, ſemper enim melior pars eſt ſequenda, at quia tempore Apoſtolorum non ita facile poterant Epiſcopi inueniri aut conuenire, ideo permittebatur, vt ſi plures non poſſent conuenire, duo poſſent Epiſcopi alium ordinare. Et quia ex 35. canone Apoſtolorum, epiſcopi prouinciæ abſque metropolitano nihil poterant ſuſcipere, aut expedire: ideo requirebatur vt metropolitanus vnus eſſet ex epiſcopis ordinantibus. Ex quo apparet ex Apoſtolorum ordinatione, Epiſcopos tres potuiſſe Epiſcopum vnum ordinare, modo vnus ex illis ſit Metropolitanus. At in Concilio Niceno cap. 4. conſtituitur vt ſi fieri poſſit omnes Epiſcopi prouinciæ conueniant, ſin minus tres eum ordinent conſentientibus per epiſtolas comprouincialibus epiſcopis, et hic Canon requirit Synodum perfectam, tamen hoc exponit, ſcilicet Synodum perfectam eſſe, vbi adeſt Metropolitanus, etiã ſi omnes Epiſcopi prouinciæ nõ interſint. At ſicut Apoſtoli propter penuriam Epiſcoporum, permittebant, vt duo epiſcopi alium conſtituerent, ſic et hæc Concilia propter ſchiſmata quæ ab *Arrianis* inducebantur, requirebant maiorem numerum epiſcoporum quam trium, tamen in regno quieto et pacato ſufficit ſi ſecundum Apoſtolicam regulam

regulam tres Episcopi quorum vnus sit Metropolitanus alium constituant, vt latius docuimus ad can. 4. Nicenum.

CAP. XVII.

Si quis Episcopus per manus impositionem episcopatum acceperit, & praesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiã sibi cõmissam, hunc oportet communione priuari, donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integra decreuerit eiusdem prouinciæ synodus sacerdotum.

Pendet hic Canon ex 37. can. Apostolorum.

CAP. XVIII.

Si quis episcopus ordinatus ad paræciam minime cui electus est, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetratam: hic et honoris sit & ministerij particeps, dummodo nihil molestus ecclesiæ rebus existat, vbi ministrare cognoscitur. Quem etiam obseruare conuenies, quidquid synodus perfecta prouinciæ, quod visum fuerit iudicando decreuerit.

Pendet hic Canon ex parte secunda 37. can. Apost.

CAP. XIX.

Episcopus præter synodum & præsentiam metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram posito, melius quidem est, vt omnes simul adsint, eiusdem prouinciæ sacerdotes, quos metropolitanus episcopus aduocare debebit, et siquidem omnes occurrerint, optime, quod si difficile fuerit, saltem plures adesse omnino conuenit, aut certe scriptis eiusdem sententiæ comprobari, et ita sub plurimorum, vel præsentia vel decreto, ordinatio celebretur. Quod si secus contra definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat, si vero iuxta definitam regulam fiat, et nõnulli pro contentione propria contradicant obtineat sententia plurimorum.

Rationem huius capitis exposuimus sup. in cap. 16,

CAP. XX.

Propter vtilitates ecclesiasticas & absolutiones earũ rerũ que dubitationẽ controuersiamq́, recipiunt, optime placuit, vt per singulas quasq́, prouincias episcoporum concilia celebrentur. Seruetur quidem post tertiam septimanam festi paschalis, ita vt quarta septimana Pentecostes conueniat synodus, metropolitano prouinciales episcopos admonẽte, secunda vero synodus, fiat idibus octobris, id est *quintodecimo die mensis octobris, quã hyperberetaon Græci cognominant. In ipsis autem concilijs adsint presbyteri & Diaconi, & omnes qui se lesos existimant, & synodi experiantur examen. Nullis vero liceat apud se celebrare concilia, præter eos quibus a metropolitanis videntur esse iura comissa.*

Canon 38. Apostolorum præcipit bis in anno concilia celerari, vt Nic. can. 5. et hic. At canon 5. Nicenus primum mutabat a quarta septimama Pen-

tecostes, ad tempus ante pascha, hic autem canon id remittit ad eandem 4. septimanam Pentecostes, potius adhærens canoni Apostolorum, quam Niceno. At hoc Antiochenum Concilium mutat tantum diebus tribus, sed intelligendum est, circa hoc tempus debere celebrari, non enim astringi opus est certo fixoque diei quin liceat diebus duobus aut tribus limitem pro ratione loci & temporis immmutare.

CAP. XXI.

Episcopus ab alia parœcia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus a populis, nec ab episcopis necessitate compulsus, maneat autem in ecclesia quam primitus a Deo sortitus est. Nec inde transmigret, secundum pristinam de hac re definitionem constitutam.

Hic citat pristinam definitionem prohibentem Episcopo ab vna parœcia in aliam demigrare. Quænam est illa prisca definitio? scilicet illa quam citat *Euseb.* in epistola *Constantini* sese excusans de recusato episcopatu Antiocheno, vt superius diximus in præfatione ad canones Apostolorũ. Illic enim ostendimus *Euseb.* noluisse transire ad aliam parœciam, quia hoc canones Apostolorum prohibebant, scilicet 14. can. Apostolorum, ita vt quamuis 15. canon Nicenus idem prohibeat, ipse tamen maluerit citare canonem Apostolicũ quam Nicenum, tanta erat apud illum reuerentia canonum Apostolorum. Idem & patres Antiocheni hoc loco agunt, nam quamuis ipsi sint ex Patribus Nicenis, tamen potius citant antiquas regulas Apostolicas, quam Nicenas a se ex parte constitutas, vt superius vidimus in capitibus huius Antiocheni Concilij 2. 3. 9. 11. & hoc 21. Et hoc iure potest, nam etiam Concilium Nicenum easdem priscas regulas citat quæ ex hoc loco & *Eusebio* & Concilio Gangrensi dignoscuntur esse canones Apostolorũ. Has inquã priscas regulas similiter citat Nicena Synodus capitibus 1. 5. 8. & 15. quinetiam 8. cap. Niceno præcipiuntur Cathari ad ecclesiam redeuntes, obseruare statuta ecclesiæ Catholicæ Apostolica quæ sunt 50. Canones Apostolorum., qui additi cum 20. Canonibus Nicenis, efficiunt Canon. 70. Ex quo fit vt *Athanasius* in sua epistola ad *Marcum* Romanum Episcopum asseruerit in Concilio Niceno fuisse constitutos 70. Canones.

CAP. XXII.

Episcopus aliam Ciuitatem quæ non est illi subiecta non adeat, nec ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, super ordinationem cuiusdam, nec constituat Presbyteros aut Diaconos alteri subiecto episcopo, nisi forte cum concilio & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentauerit, irrita sit eius ordinatio & ipse coerceatur a Synodo. Nam si ordinare non potueris, nullatenus iudicabis.

Exponit hic Canon Apost. 36.

CAP. XXIII.

Episcopo non liceat pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ per-

peruenias. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse huiusmodi est constitutũ. seruetur autem ius ecclesiasticum hoc continẽs, oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo, & iudicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum qui dignus extiterit promouere.

CAP. XXIIII.

Quæ sunt ecclesiæ, sub omni solicitudine & conscientia bona, & fide quæ in Deũ est qui cuncta considerat iudicatque seruentur quæ etiam dispensanda sunt iudicio et potestate Pontificis, cui commissus est populus et animæ quæ in ecclesia congregantur. Manifesta vero sint, quæ pertinere videntur ad ecclesiam, cum notitia Presbyterorum et Diaconorum, qui circa ipsum sunt, ita vt agnoscant, nec ignorent quæ sunt ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat, vt si contigerit episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus quæ sunt ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur episcopi, sub occasione rerum peruadantur ecclesiæ. Iustum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, vt sua episcopus, quibus voluerit derelinquat, & quæ ecclesiæ sunt itidem conseruentur ecclesiæ, vt nec ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec episcopus sub occasione proscribatur ecclesiæ, & in causas incidant, qui ad eum pertinẽt, & ipse post obitum maledictionibus ingrauetur.

Pendet hic Canon et subsequens ex Apostolorum can. 39. 40. 41.

CAP. XXV.

Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent cum summa reuerentia & timore Dei. Participet autem et ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam in suis, quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessarijs vsibus profuturis, ita vt in nullo qualibet occasione fraudentur iuxta sanctum Apostolum sic dicentem: habentes victum & tegumentum, his contenti simus. Quod si contentus istis minime fuerit, conuertat autem res ecclesiæ in suos vsus domesticos, & eius commoda vel agrorum fructus, non cum presbyterorum conscientia, diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filijsque committat, vt per huiusmodi personas occultè cæteræ lædantur ecclesiæ, Synodo prouinciæ pœnas iste persoluat. Si autẽ & aliter accusetur episcopus, aut Presbyteri qui cum ipso sunt, quod ea que pertinent ad ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet ecclesiastica facultate sibimet vsurpent, ita vt ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi vero & blasphemijs tam sermo prædicationis, quam qui dispensant, taliter exponantur, et hoc oportet corrigi sancta synodo, id quod condecet approbante, et subscripserunt triginta Episcopi qui in eodem Concilio conuenerunt.

Prouinciæ Palestinæ.
Eusebius Gedarenus.
Prou. Phœnicia.
Anatolius Emisenus
Aeneas Ptolemaidis.
Magnus Damacenus.
Prou. Arab. Petrea.
Nichomacus Bostrorum.
Cyrion Philadelphiæ.
Prou. Mesopotamiæ.
Aethevius Edissenus.
Antiochus Rhesinatis.
Iacobus Nisibensis.
Prou. Cœles Syriæ.
Archelaus Dolichenus.
Abbeus Apameæ.
Bassus Zeugmatis.
Mauricius Epiphaniæ.
Petrus Gindarensis.
Paulus Neocesariẽsis
Piperius Samosatenus.

Theodorus Laodicea
Syricus Cyrrhetensis.
Prou. *Cilicia*
Macedonius Mopsuestien.
Hesychius Alexandriæ mi.
Moyses Castabulæ.
Nicetas Flaniadis.
Narcissus Irenopolis.
Tarcondimantus Aegeratis
Prou. Isauriæ.
Agapius Seluciæ.
Theodorus Vasadensis.

Hi omnes sunt ex patribus Nicenis, non autem tres subsequentes quod sciam, *Eustathius, Patricius, Alexander.*

Cæterum hic poterimus recolligere Canones omnes Apostolorum ex quibus præcedentia capita Antiocheni Concilij fuerunt desumpta, scilicet ex 25 canonibus Apostolicis, qui sunt 1.2.4.8.9.10.11.12.13.14.15.16.29.31.32.33.34.35.36.37.38.39.40.41. et 45. Ita vt totidem Apostolici canones requirantur ad exponendos hos, quot hic constituuntur, qui scilicet complectantur dimidiam partem totius numeri Canonum Apostolorum.

De donatione Constantini & Concilio Romano sub Syluestro Papa.

CAP. VII.


Rætegunt Pontifices romani authoritatem suam pallio cuiusdam donationis *Constantini* magni. At frigidus prætextus est nam illa donatio falsa, inepta, & ignara est, eius enim falsitas statim apparet ijs qui alios libros legunt. Fingit *Constantinum* magnum persequutum fuisse Christianos tempore *Syluestri* Papæ & per visionem quandam *Petri* & *Pauli* fuisse ad Christi cognitionem adductum. At statim contrarium occurrit in historia Ecclesiastica in qua apparet *Constantinum* nunquam fuisse persequutum Christianos. Quinetiam eum partes christianorum amplexum fuisse antequam *Syluester* esset Papa. Scilicet tempore *Milciadis* præcessoris *Syluestri*, ad quem *Constantinus* magnus causam Donatistarum contra *Cæcilianum* Carthaginensem mandauit, postea eam commisit Episcopo *Arelatensi*, & tandem ipse *Constantinus* iudicium protulit in fauorem *Cæciliani*, vt apparet ex Ecclesiastica Historia *Eusebij* Lib. 10. & innumeris D. *Augustini* locis, vt contra *Petilianum* Donatistam Tom. 2. Epist. 162. & 166. Tom. 7. contra literas *Petiliani* & aliàs. Quinetiam *Constantinus* narrauit *Eusebio* suam conuersionem fuisse per inquisitionem, qua ipse verum Deum ratiocinio inquisiuit, & per visioné signi Crucis ad solem, cum inscriptione, *In hoc signo vinces*, erat enim in expeditione contra *Maxentium* quem etiam vicit, & hanc narrationem iuramento confirmauit. In vita *Constantini* Lib. 1. cap. 21. 22. 23. & 24. & Eccles. Hist. Lib. 9. cap. 6. & *Socrat.* Lib. 1. & *Sozo.* Lib. 1. cap. 3. Non ergo potest quispiam illam donationem veram statuere quin de periurio *Constantinum* conuincat.

Constantinum etiam fuisse baptizatum ab *Eusebio Nicomediensi* Episcopo omnes historiæ Ecclesiasticæ testantur, vt *Euseb.* in vita *Constantini* Lib. 4. cap. 62. *Theodorit.* Lib. 1. cap. 31. *Sozom.* Lib. 2. cap. 32. *Euagrius* Lib. 3. cap. 41.

Socrat.

Socrat. Lib. 2. cap. 26. Ergo *Constantinus* a *Syluestro* non fuit Baptizatus.

Possem adducere innumera argumenta ad detegendam falsitatem huius donationis, nisi alij ea de re edidissent integra volumina, & nisi hæc sufficerent. Itaque accedo ad Concilium Romanum tempore *Syluestri* Papæ, quod eodem artificio fuit confictum. De eo *Eusebius* nullam facit mentionem, si quod insigne concilium fuisset tunc celebratum, non omisisset *Eusebius* illius temporis historicus, tamen *Damasus* in Libro Pontificali de eo mentionem facit. Aiunt Concilium hoc fuisse celebratum eodem tempore quo Concilium Nicenum erat in Bithynia congregatum, hæc in breui epilogo eiusdem Concilij. 1. Volum. Conciliorum continentur. At subscriptio Concilij notat tempus Concilij. 3. Kalend. Iunij. Domino *Constantino* Augusto tertio & Prisco consule, & in rescripto *Syluestri* ad synodum Nicenam tempus ita notatur, Data 5. Kal. Nouem. accepta 4. Idus Febr. *Constantino* septies & *Constantio* Cæsare quarto consulibus. Quomodo igitur potuit fieri vt eodem tempore hæc concurrerent?

Idem Concilium Romanum cap. 1. ait interfuisse Concilio 284. Episcopos præter 57. Episcopos ex parte Rhinocoruri, quorum ait in Concilio Chirographum declarari, & postea eorum nulla fit mentio. Quinetiam initio actionis secundæ ait venisse omnes Presbyteros vrbis Romæ & Diaconos omnes 284. ita legitur in vno exemplari, vbi erant ergo Episcopi? at alia exemplaria dicunt venisse Presbyteros omnes vrbis Romæ & Diaconos & Episcopos 284. quis nouit num Presbyteri & Diaconi vrbis Romæ cum Episcopis connumerentur, vt fiant 284. Secundo vbi erant in hac actione secunda Episcopi Rhinocoruri?

At in fine & cap. 20. ait subscripsisse 284. Episcopos, & 45. Presbyteros, & 5. Diaconos, vbi iterum erant 57. Episcopi Rhinocoruri? Num etiã erant apud Rhinocoruros tot Episcopi? sed fortasse loquitur de Monachis Rhinocoruri.

In hoc Concilio multa inepta decernuntur, vt hoc quod nullus ex laica persona ab honore acolythi vsque ad Episcopatum subleuaretur nisi prius fuisset

Lector annis.	30.
Exorcista die.	1.
Acolythus annis	20.
Subdiaconus ann.	5.
Diacon. ann.	7.
Summa ann. 52. antequam ad Presbyterium accedatur.	
Presbyt. ann.	3.
Summa anni 55. d. i. antequam quis ad Episcopatum veniat.	

Ita non poterat ex hoc decreto quispiam ad Presbyterium aut Episcopatum peruenire nisi superaret annum quinquagesimum etiamsi eius nutrix pro lactante officium lectoris exerceret. Est author huius decreti ὁμε ϖρὸς λύραν. Nouimus Christum quando cœpit prædicare attigisse annum 30. At *Iohannes* baptista cum inciperet baptizare, eo iunior erat, & D. *Iohannes* Apostolus erat Christo coætaneus, vt apparet ex tempore vitæ ipsius vixit enim centum annis, & vsque ad tempora Traiani & annum Christi centesimum, erat ergo triginta annorum cum ad Apostolatum vocaretur *Euseb.* Lib. 3. cap. 20. *Timotheo* D. *Paulus* ait. Nemo contemnat adolescentiam tuam. 1. *Tim.* 4. 11. similiter

militer *Theodorus* qui & *Gregorius* Neocæsareẽsis, & eiusfrater *Athenodorus* ætate iuuenes fuerunt ad Episcopatum promoti *Euseb.* Lib. 6. cap. 30.

Insuper, cap. 20. eiusdem synodi Romanæ confictæ ait omnes sedes desiderare iustitiam a prima sede temperari, quod falsum est, nam si desiderassent, in Concilio Niceno petijssent & decreuissent, at hoc in nullo vnquam concilio fuit desideratum ab alijs quam Romanis, nisi forte ab vno Osio Cordubensi bis excommunicato, qui talia videtur postulasse in conciliabulo Sardicensi. Et tempore *Constantini* magni post iudicium *Melciadis* causa Cæciliani Carthaginensis contra *Donatistas* fuit deuoluta ad Episcopum *Arelatensem.* Neque vnquam Aphricani se Romano subijcere voluerunt.

Ait quoque Pontificem Romanum iudicem non iudicatum iri ab Augusto, quod vix credibile est fuisse coram *Constantino* pronunciatum. Et certum est non fuisse, cum totum hoc concilium sit fabulosum. At ponamus fuisse, tamen contra ius prolatum esset. Reges enim in causa grauissima posse Sacerdotes iudicare, apparet ex iudicio *Salomonis* iudicantis *Abiatharum* Sacerdotem quem mortis reum iudicauit dicens. Vade in Anathoth ad agrum tuum, quoniam vir mortis es, sed hodie te non interficiam quia portasti arcam Domini Dei coram *David* patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus his, in quibus laborauit Pater meus. Eiecit ergo *Salomon Abiatharum*, ne esset Sacerdos Domini, vt impleretur verbum Domini, quod loquutus erat super Domum *Heli* in Silo. 1. Reg. 2.26.

Non vult etiam vt a toto clero iudicetur Episcopus Romanus. Tamen D. *Petrus* suam causam coram coepiscopis suis exposuit, cum accusaretur de eo, quod gentibus prædicasset, Act. 11. & reprehensus fuit a *Paulo* Galat. 2. D *Paulus* se submisit iudicio Apostolorum Act. 15. Obtemperat etiam *Iacobo* Episcopo Ierosolymitano præcipienti vt se iuxta morem Iudæorum cum quatuor Israelitis qui aderant purificaret Act. 21. 18. Quinetiam victor Episcopus Romanus passus est iustam reprehensionem temeritatis suæ ab *Ireneo* Lugdunensi & alijs cum excommunicasset Ecclesias Asiæ *Euseb.* Lib. 5. c. 23. & 25.

Constantiensis quoque synodus ad dirimendum schisma quod per spatium quadraginta annorum durauerat, ad reformationem Ecclesiæ in capite & in membris congregata est, & Papas iudicauit & deposuit.

Ac in summa hoc decretum Concilij Romani non aliquod Romanorum Pontificum ius tradit, sed prodit eorum superbiam & ambitionem, vt appareat veram esse D. *Pauli* sententiam de Antichristo quod se extollat supra omne quod vocatur Deus aut quod colitur. Nam vnus est qui est Deus, at alij sunt qui vocantur Dij, dicente *Davide* Deus sedet in congregatione Deorum, Psal. 82. Exod. 22. 8. Iohann. 10. 35. Quod de Principibus & iudicibus dicitur. Ij ergo vocantur Dij, at Antichristus sese extollit supra omne quod vocatur Deus, 2. Thess. 2. quia se extollit supra Imperatores & reges, cum nolit subijci eorum iudicio, & quæ dicuntur apud *Isa.* 14. de Lucifero rege Babylonis nam etiam Roma est Babylon meretrix, Apoc. 17. Dicit enim Lucifer se ascensurum super altitudinem nubium, vbi videlicet non ab hominibus attingetur, cum non subijcietur hominum iudicio, & se Deo similem constituit, vt etiã Romanus Antistes Christi, alias Antichristus crepidam suam adorandã præbet.

De Aphricanis prudenter recusantibus subire authoritatem Pontificis Romani tempore D. Augustini.

Epistola Aurelij Carthaginensis Episcopi ad Damasum Papam, ex 1. volum. Concil. F. 1.

CAP. VIII.



Beatissimo Papæ Damaso Aurelius Carthaginensis Episcopus. Gloriam Apostolicæ sedis & vestræ sublimitatis, nostra humilitas exoret, vt statuta, quæ reperire poteritis, post finem beati Principis Apostolorum *Petri*, vsque ad vestræ sanctitatis principium, iuxta Apostolicæ sedis authoritatem, quam cognouimus per vestræ sapientiæ sanctitatem gubernari, nobis scripta mittere dignemini, quatenus per vestræ sanctitatis nobilitatem atque prudentiam nosse valeamus quæ in præfata sancta sede supradictis temporibus sunt decreta, & quæ aduersus CANONVM APOSTOLORVM instituta gesserunt, cognoscantur. Bene vale sanctissime Papa, & ora pro nobis amantissime pater, Data 8. Kalend Martij, item lecta Romæ 5. Nonas Maij. Cuius responsio consequenter ponitur initio 1. volum. Concil. in qua per Ammonium Presbyterum, & Fœlicem diaconum quæcunquæ tunc potuit de singulis Papis misit, & pollicitus est plura se missurum.

Interim notare potes scopum Aurelij, qui talis fuit, vt vellet videre quæ à Romanis acta erant generaliter, specialiter vero ea quæ gesta erant contra instituta canonum Apostolorum, igitur habebat Aurelius canones Apostolorũ tanquam lapidem Lydium, ad examinanda decreta Pontificum Romanorum, vt superius diximus, non enim dicit se velle nosse ea quæ gesserunt contra instituta canonum Apostolicorum, id est Romanorum, qui se Apostolicos nuncupant, sed nominatim ait aduersus instituta canonum Apostolorum.

Et certe cum ipse Aurelius armatus esset authoritate canonum Apostolorum, & canonum Nicenorum, deinde inquisiuisset decreta Romanorum, & ea examinasset, plane vidit Episcopum Romanum nullam habere prorsus authoritatem iudicandi de clericis Aphricanis, & ideo in varijs locis Aphricæ decreta conciliorum promulgari curauit, quibus vltramarina iudicia reijciebantur, & ij omnino de clero deijciebantur, qui ad vltramarina recurrerent iudicia, vt in Mileuitano Concilio c. 22. & Carthaginensibus, & Aphricano c. 92.

Hæc cum ita essent, Papæ nihilhominus, voluerunt Apiarium quendam Presbyterum, improbæ vitæ & nefandæ, & excommunicatum ab Aphricanis ad communionem restituere in Concil. Carthaginensi sexto, idque prætextu Concilij Niceni, deinde etiam ex Concilio Sardicensi, Aphricani responderunt se in Concilij Niceni decretis talia non inuenire, & Papam *Bonifacium* rogarunt vt ipse secum scriberet ad Episcopos Constantinopolitanum & A-

lexandrinum, vt authentica exemplaria mitterent, quod cum fecisset, Aphricani inuenerunt nihil contineri in Concilio Niceno, quod Papæ talem tribueret potestatem, quare citationem illam legati Papæ, vna cum citatione concilij Sardicensis repudiarunt. Nam etiam Concilium Sardicense non poterat violare Concilium Nicenum, & tantum abest, vt posset, quod ne Concilium quidem Chalcedonense hoc poterat, nam Nicena decreta ab alijs Concilijs violari nullo modo possunt, quod & ipse *Leo* Papa coactus fuit confiteri. Etenim in Epist. 60. ad Maximum Antiochenum Episcopum hæc scribit Quod si quid a quoquam contra Nicenorum Canonum statuta in quacunque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur exortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolui, quam prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi, subrependi enim occasiones non prætermittit ambitio, & quoties ob incurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, difficile est, vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Et paulo post, hoc tamen proprium diffinitionis meæ est, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior, aliquid per quorundam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur, quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur. Hæc ipse Papa *Leo* scripsit. Ex quo apparet Aphricanos Episcopos in Concilio sexto Carthaginen. & concilio aphricano merito contempsisse Concilium Sardicense postquam authentica exemplaria Concilij Niceni accepissent. Etenim in Concilio 6. Carthaginensi cum Faustinus legatus Romanus falso citasset Concilium Nicenum & confirmasset ex Concilij Sardicensis decreto D. *Augustinus* respondit se hoc obseruaturos donec authentica exemplaria Concilij Niceni haberentur. At cum exemplaria authentica venissent, tunc Aphricani Cælestino scripserunt Epistolam in qua docent nullis decretis Ecclesiæ Aphricanæ fuisse derogatum. Et duo hæc prudentissime egit Aurelius. Ex Damaso obtinuit decreta Pontificum Romanorum, vt ea conferret cum canonibus Apostolorum, & obtinuit Romanorum literas ad id vt ipsis consentientibus verum & authenticum haberet exemplar Concilij Niceni, vt Romani nihil haberent quod ei possent obijcere, sed potius in omnibus esset præmunitus, canonibus vero apostolorum & Nicenis armatus, noluit Romano subijci vt apparet ex Epistola Conc. Aphric. ad Cælestin. Papam. Quo loco posset quispiam quærere cur Romani non opposuerunt decretum Concilij Constantinop. 1. in quo hoc decretum latum fuit, Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma. Nam ex hoc decreto videtur primatus primus assignari Romano, secundus vero Constantinopolitano, & si Romanus primus sit, videntur alij ei debere quodammodo obedire. Respondeo hunc canonem non de quadam iurisdictione aut authoritate aut præheminentia loqui, sed de simplici *πρoεδρία*. Nam Concilium Nicenum quatuor episcopos nominans Alexandrinum primum nominauit, secundum Romanũ, tertium Antiochenum, quartum Ierosolymitanum, verum *Constantinus* mag-

nus decedens priuilegia πρεσβεῖα præ cæteris Ecclesijs dedit Episcopo Romano & Constantinopolitano, *Sozomen.* Lib. 2. cap. 32. itaque Constantinop. Concilium constituit vt post Romanum Episcopum Constantinopolitanus primatum obtineret, ita ordinem Patriarcharum constituens, vt Romanus primus sit, Constantinopolitanus secundus, deinde Alexandrinus tertius, Antiochenus quartus, Ierosolymitanus qui deberet esse primus sit quintus. Et ex eo apparet etiam non de iurisdictione sed de πρεσβείᾳ agi, in hoc decreto, quod etiam in Concilio Chalcedonensi fuit repetitum, vbi etiam causa primatus exponitur, quia scilicet est vrbs Imperialis, & antiqua sedes Imperij, sicut etiam Constantinopolis Primatum obtinuit, quia est vrbs Imperialis & noua Roma. Vana est ergo ratio illa quæ a Pontificijs adducitur, quod Primatum obtinuit Roma quia est ciuitas cuius Episcopus fuit *Petrus* Apostolorum Princeps, nã Constantinop. Eccl. non fuit ab Apostolo aliquo constituta, & tamen secũdam sedem obtinuit. Nec Alexandrina ab Apostolo fuit instituta, sed ab Euangelista *Marco*, quod si quis dicat eum fuisse a *Petro* missum, multi alij ab eo missi sunt & constituti Episcopi, sicut & *Timotheus* Ephesi a D. *Paulo* qui non erat minor *Petro*. Et quæso nonne & *Petrus* & omnes Apostoli constituerunt *Iacobum* fratrem Domini Episcopum Ierosolymitanum ? & nonne illa sedes fuit a Domino sanctificata? cur ergo ei Alexandria & antiochia præferuntur ? At hæc concilia tantum præferunt Romanam & Constantinopolitanam ratione πρεσβεῖα, quia erant vrbes Imperiales, eis vero nullam iurisdictionem tribuentes. Quod cum videret *Gelasius* Papa post Concilium Constantinop. 1. & Chalcedonense ait Romanam Ecclesiam nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælatam esse, sed Euangelica Domini voce: Tu es *Petrus*, &c. Ait ergo nullis synodicis decretis Ecclesiam Romanam præ cæteris prælatam esse, quia eam synodus Nicena non præferebat, vt ex Aphricani Concilij responso apparet, quod *Gelasio* notissimum erat, cum ipse esset Aphricanus. Concilium vero Sardicense nullius esse potest authoritatis non enim pluribus quam sexaginta Episcopis constabat, nec secundum quosdam pluribus quam viginti, quoniã orientales recesserant, & alij ex occidentalibus ita vt ex sexaginta vix viginti remanerent. Itaque quod Concilium Constantinop. 1. & Chalcedonense primam sedem Papæ concesserunt, ex confessione Gelasij, non dat præheminentiam Romanis, sed πρεσβεῖα. Ita vt aliunde exquirenda sit quam a synodis ratio primatus Romani, consimili ratione Anacletus dixit non ab Apostolis Romanam sedem obtinuisse primatum. Ita vt nec ab Apostolis nec a synodis primatum obtinuerit. A quo igitur primatum obtinuit ? Ipsi dicunt a voce Euangelica Christi dicentis *Petro*, Tu es *Petrus*, & super hanc *Petram* ædificabo Ecclesiam meam. At illa vox non ad solum *Petrum* spectat, sed ad omnes Apostolos qui sunt fundamentum Ecclesiæ Ephes. 2. & Apocalyps. 22. Et Roma Babylon nuncupatur Apocalyps. 17. & ab ipso D. *Petro* vt testatur *Euseb.* Eccles. Hist. Lib. 2. ex Papia antiquissimo authore. At hæc verba quæ Christus interdum dixit *Petro*, aliquando dicet eis qui se *Petri* successores falso iactitant. Vade retro Satana, quoniam non intelligis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum. Nam certe si Dominus Romæ dare voluisset Primatum, Apostoli quoque constituissent, ita vt non posset ea de re Anacletus conqueri, quinetiam & synodi illud non omi

essent, ita vt non esset Gelasio de synodis conquerendi locus, vt conqueritur in suis decretis 1. volum. Concil. At quia Dominus talem authoritatem non probauit, ideo nec Apostoli nec synodi eam concesserunt. Nec aliunde habet Papa potestatem, quam ab eo de quo loquitur Apocalypsis, dicens, Draco dedit potestatem Bestiæ, & cum sit bestia quæ ascendit de abysso, non habet portionem cum noua Ierusalem de cœlo descendente. Interim obiter ex dicto Gelasij facile colligere potes suo tempore non fuisse conditam fabulam Concili Romani tempore *Syluestri* Papæ, quæ si edita fuisset, nunquam dixisset Gelasius Romanam Ecclesiam non habere a synodis primatum suum, sed fabula illa vt verisimile est fuit edita in seculo magis deprauato & tenebricoso, quam fuit Gelasij tempus; Atque hoc ex illa effrena licentia mentiendi quam Papæ vsurparunt. Ex qua in primo Concilio Carthaginensi celebrato tempore *Syluestri* Papæ & *Constantini* magni, inseruerunt citationem Concilij Sardicensis quamuis Concilium Sardicense non esset celebratum tempore *Constantini* magni. Et apparet mendacium ex eo quod titulus Concilij testatur fuisse celebratum tempore *Syluestri* Papæ, & exordium Concilij mentionem facit *Constantini* magni, & in eo in narratione Priuati Episcopi Vegeselitani. ca. 5. hæc inserta fuerunt. Nam & memini in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, vt nemo alterius plebis hominem vsurpet, sed si forte erit necessarium petat a collega suo, & per consensum habeat. At quomodo potuit Priuatus Episcopus tempore *Constantini* magni meminisse Concilij Sardicensis quod non erat celebratum tempore *Constantini* sed vndecim annis post ipsius obitum? vt testatur *Socrat*. Lib. 2. cap. 16.

Cæterum in Concilio Carthag. 6. & Aphricano merito Aurelius & eius coepiscopi Aphricani neglexerunt concilium Sardicense quoniam ieiunum fuit conciliabulum, in quo multi Episcopi quidem conuocati fuerunt, at Orientales discesserunt necnon & ex Occidentalibus ita vt tantum remanserint viginti Episcopi qui synodo subscripserunt vt *Sulpitius* testatur in 1. Volum. Concilior. Nam Epistola Concilij falsa inuenitur sicut & subscriptio, ex eo quod cum Occidentalibus Episcopis connumerat Orientales qui recesserant. Et in illo conciliabulo nulla alia decreta fuerunt quam Osij Cordubensis qui bis excommunicatus fuit, semel quidem propter hæresim Donatistarum, sed tunc intercessione Episcoporum Galliæ fuit restitutus vt testatur D. *Augustinus* contra *Petilianum*, ad primam partem eius Epistolæ. Secundo fuit excommunicatus Osius quia subscripsisset dogmati Arriano, quo tempore *Sulpitius* testatur in ciuitate Corduba eius nomen inter Catholicos Episcopos antecessores & successores eius minime recitari. Fautores tamen Romanorum Pontificum eum quantum possunt excusant, & ideo rem aliter narrant. At Aphricani pro nihilo duxerunt hoc conciliabulum, sed omnia referebant, ad authentica exemplaria Nicenæ synodi. Interfuit etiam Concilio Eliberino in Hispania Osius, vbi in multis casibus denegatur receptio etiam in exitu, quæ decreta magis sunt bruta quam humana, vt 1. decretum ita loquitur. Placuit vt quicunque post fidem baptismi salutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen capitale, nec in fine eum ad communionem suscipere. Et hoc est 7. cap. Si quis forte fidelis post lapsum mechiæ,

post

post tempora constituta acta pœnitentiâ denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem. Hoc Concilium post Nicenum ponitur, & eo subscripsit Osius, ipse igitur ibi violauit 13. canonem Nicenum cuius concilij Niceni decreta inuiolabilia erant, & ipse qui eis subscripserat, non poterat contrarijs subscribere, quare sicut ibi pueriliter violauit concilium Nicenum, sic & in hoc Conciliabulo Sardicensi non dubitauit eadem violare, sicut etiam postea in concilio Sirmiensi violauit fidem Nicenam. Eius itaque insulsis decretis nemo obligatur, sed ea violare iure licet, quum ei temere licuit violare sacra decreta Nicena.

De idololatria Concilij Niceni secundi.

CAP. IX.



IDololatria pontificum Romanorũ tanta fuit, vt Apocalypsis eam præuidens Romam magnam Babylonem, & magnam meretricem spiritualiter nuncupet. Eius idololatria apparet ex Concilio Niceno secundo, cuius singula capita refutare tædiosum esset, præcipua refellere commodissimum videtur, non in multiloquio consistit veritas, sed sicut linea recta est omnium breuissima inter duo quælibet puncta, ita & veritas paucissimis verbis potest seipsam sustinere.

In anathematismo secundo actionis primæ Nicenæ synodi secundæ hæc habentur. Qui sacræ Scripturæ verba de idolis & gentilium statuis ad venerandas Christianorum imagines exponentes trahunt, execratio.

Impius anathematismus pios execrans. Recte dixit Poeta fælix qui potuit rerum cognoscere causas nam certe nunquam potest aliquid exacte cognosci, quin causa & origo & primum exordium innotescat. Vt ergo causa idololatriæ ostendatur, eius primam originem repetamus. Eam ego dico esse sanctorum venerationem. Etenim antiquissimi homines sub lege naturæ habuerunt suos sanctos, quos Deos vocarunt, quales fuerunt *Noe* quem aliqui Ianum vocarunt, & bifrontem pinxerunt, eo quod tempus ante & post diluuium viderat, nisi forte ipsum *Adamum* intellexerint, & bifrontem pinxerint eo quod mas & fœmina creatus fuit. Deinde *Belum* per quem fortasse *Abelum* intellexerunt, & per Saturnum, Seth, aut ex *Noe* filijs & nepotibus iuxta *Berosi* Babylonici sententiam. Vtut sit sancti & egregij viri vocabantur Dij, qui erant vt proceres terram iudicantes, ex quo etiam dicit Scriptura filios Deorum accepisse filias hominum eo quod essent pulchræ & ex illis suscepisse gigantes viros fortes. Genes. 6. Hinc fit vt Deus iubeat vt causæ ad Deos, id est iudices deferantur. Sic dicit Psalmista. Deus stat in congregatione Deorum, & iterum dixit Dij estis vos. Ij igitur qui vocabantur Dij, & interim erãt sancti viri, in magno honore habebantur, & imagines erigebantur in eorum memoriam, & laudem, & initio quidem hoc fiebat historice ad cele-

brandam memoriam eorum, at postea honor ille qui prius eis pie tribuatur, in abusum fuit conuersus & in superstitionem, homines enim ignari cœperunt sibi persuadere eos mortuos posse sibi succurrere in ijsdem necessitatibus, quibus viuentes opem ferebant. Ex eo factum fuit vt sacrificia eis obtulerint & dæmones videntes hanc cæcam superstitionem, eorum imaginibus sese insinuarunt, & quærentibus oracula responsa dederunt. Quinetiam homines ambitiosi gloriæ cupidi suas imagines erigere et adorandas curare susceperunt, quod fuit alius abusus, et hæc fuit tandem idololatria Ethnicorum quam sacra scriptura acriter repræhendit, vt dæmonomaniam. Nam successu temporis hæc omnia in talem cæcitatem deciderunt vt non amplius sancti, sed ipsi dæmones adorarentur, quamquã et Deorum ipsorum, id est sanctorum, sicut et Dæmonum cultus prohibeatur.

Nunc sub Papatu quia Deorũm cultus fuerat aperte damnatus, serpens versutus mutauit nomina, non rem ipsam. Nam Deos adorandos non suasit, sed sanctos, & quæso nonne sancti sunt qui olim Dij vocabantur? sic ergo deorum adoratio aut cultus prohibetur, et sanctorum veneratio interdicitur. Et certe sicut olim dæmonia respondebant sua oracula per Sibyllas, sic et nunc idola sanctorum per suas deuinatrices oracula sua respondent ijs qui ipsos sanctos consulunt.

Hæc tamen est differentia inter antiquam Ethnicorum superstitionem et nouam Idololatriã eius Ciuitatis quæ spiritualiter vocatur *Babylon*, olim Imperatores Babylonij voluerunt adorari vt *Nabuchodonozor*, vt docet liber *Danielis*, et Græci vt *Alexander* magnus, et Romani, vt *Caius*. At ab eo tempore quo Imperatores professi sunt Christianã religionem nunquam adorari voluerunt & ideo meliores sunt per Christi cognitionem quam Ethnici reges. Olim sub Ethnicis nunquam auditum fuit vt Sacerdotes seipsos adorandos præberent. At nunc pontifices Romani vt ostendant se deteriores esse Ethnicis sacrificis, qui idola gentium colebant, seipsos adorandos præbent, mutata tantum adorationis specie, idem agunt quod *Nabuchodonozor* agebat, *Nabuchodonozor* statuam suam auream adorandam præbebat, et Papa deauratam crepidam gemmis & præciosis lapidibus ornatam. Voluit *Aman* a *Mardocheo* adorari, quid præstitit dignum suspendio quod Papa non præstiterit? Nonne Papa vult adorari? Iudeos occidere voluit. Nonne Papa coniurauit contra eos qui sunt *Israel* in corde? Verum oportebat vt ea quæ sunt scripta in *Apocalypsi* complerentur quod videlicet magna vrbs quæ habebat regnum super omnes gentes fieret Babylon magna meretrix. Et quænam est illa ciuitas quæ omnibus dominabatur? nonne illa de qua loquitur *Ouidius* his verbis Roma superati, dum caput orbis erit? quinetiam *Euseb.* testatur diuũ *Petrum* e Roma scribentem in subscriptione epistolæ suæ Romam secundum quandam loquendi formam vocasse Babylonem. In hac Babylone spiritualiter dicta erat futura sedes Bestiæ quæ gestat mulierem & meretricem Babylonem, in cuius bestiæ cornu oculi erant, vt docet *Daniel*, quibus vigiles & vigilum id est Episcoporum regnum designatur, sicut et Aquila *Esdræ* habet pennas dicentes inuicem ne omnes simul vigiletis, sed successiue, & illud regnum Episcopale Papæ fuit designatum per numerum 666. cui correspondet

ſet hoc Græcum ἡ ἱερωσύνη παπιστὴ id eſt epiſcopatus Papalis. Ideo dicit diuus *Iohannes* reges terræ fornicaturos cum beſtia et eam adoraturos. Quæſo enim, flexo genu oſculari crepidam nonne eſt adorare? Si *Mardochæus* voluiſſet genu flectere coram *Amano* et eius crepidam oſculari, num *Aman* odium contra illum concepiſſet? Nihil eſt quod poſſit prætegere huiuſmodi impietates quas verbum Dei manifeſte detegit.

Et vt ad imagines reuertar, ſi ſancti coli non debeant, multo minus eorum imagines venerari. Quod enim ſancti non ſint colendi apparet ex eo quod D *Paulus* improbat ἀγγελοθρησκείαν, id eſt Angelorum cultum, ſanctos vero Epiſcopos quales fuerant Apoſtoli, et Sacerdotes Angelorum nomine comprehendi apparet ex *Malach.* 2. et *Apoc.* 1. vbi ſeptem Epiſcopi ſeptem ciuitatum ex *Malach.* 2. vocantur Angeli ſeptem Eccleſiarum. *Paulus* etiam et *Barnabas* reſpuebant ad ſe directam adorationem, ſcindentes veſtimenta ſua, & nunc ſcindunt cor ſuum cum videant ſuas imagines coli.

In hoc Concilio *Theodoſius* quiſpiam Epiſcopus in confeſſione ſua ait ſe inprimis approbare, ſuſcipere, ſalutare & venerari imaginem Chriſti, deinde Virginis Mariæ, denique Apoſtolorum et Sanctorum.

Hic præcipua et præcipuè colenda omnium imago eſt imago Chriſti. Si igitur illa oſtendatur non eſſe veneranda religioſa veneratione conſequens erit alias multo minus eſſe venerandas. Hoc autem probabitur ex eo quod Chriſtus vult adorari in ſpiritu, non ergo in viſibili ligno, lapide, argento auro, aut lapide preciosſo. Secundo ſerpens æneus ſuper poſtem erectus, fuit imago Chriſti cruci affixi, & quum Iſraelitæ ei odoramenta ſuffirent, eum deſtruxit pius *Ezechias* rex *Iudæorum*, conſimili ratione Leo *Iſaura* Imperator deſtruxit ſerpentem æneum id eſt, imagines Chriſti quibus ſuffimenta offerebantur. At beſtia quæ aſcendit de abyſſo cum ſua poteſtate tenebrarum, quia tempus erat Antichriſti non hoc paſſa eſt, ſed pium Imperatorem vt hæreticum perſequuta eſt. Quia in *Apoc.* ſcriptum eſt Beſtiam per dies propheticos (qui ſunt duodecim menſium) mille ducentos ſexaginta geſturam bellum contra ſanctos, ita vt vinceret illos. Ita fiebat vt impius Antichriſtus pium & ſanctum Imperatorem vinceret. At vices mutabuntur vt decem cornua quæ poteſtatem beſtiæ dederunt, eam reddant nudam & deſolatam.

Idem *Theodoſius* vt approbaret veneratione͂ imaginu͂ hanc ſubiecit rationem. Nam inquit, ſi Imperatorum vexillis ſanctioribus & imaginibus in ciuitates & prouincias miſſis, omnis populus cum cereis et ſuffimentis occurrunt, quanto iuſtius eſt in Chriſti Dei noſtri imaginem ſeruatoris noſtri Dei, et intemeratæ matris eius, ſanctorum etiam omnium patrum & piorum erigere?

Nouimus coram imaginibus ſeu ſtatuis Regum & Imperatorum vt *Nabuchodonoſori*, populum cum ſuffimentis accurriſſe. At hoc quam impium eſſet agnoſcere potes ex hiſtoria *Sidrach*, *Miſach* et *Abdenago*, apud *Danielem* Prophetam. Itaque ij damnati mores non debent Chriſtianis ad imitandum obtrudi.

Idem *Theodoſius* ait ſe ſanctoru͂ imagines venerari, & ſanctos no͂ vt deos, ſed ex toto animo eos omnes obteſtari vt ad Deum pro ſe intercedant quo

in

in oculis eius in die iudicij consequantur, et idem agit in Sanctorum reliquijs.

Sancti neque pro Dijs, neque pro mediatoribus aut intercessoribus inuocari possunt. Ipsi enim non sunt ostium, quo ad Deum accedimus, sed Christus est ostium *Ioh*.10.17. ipsi non sunt via qua ad patrem venire possumus, sed Christus est via *Ioh*.14.16. Neque propitiatio nostra, sed Christus *Rom*.3.25. Nec per sanctos habemus accessum ad Deum, sed per Christum, *Rom*. 5. 2. *Ephes*.2.17. Neque ipsi erga Deum pacem nostram conciliant sed Christus qui est pax nostra *Ephes*.2.14. Neque mundũ Deo conciliant sancti sed Christus *Colos*.1.20. Neque nostri sunt mediatores sancti, sed vnus Christus *Gal*. 3.20. et idem Christus vnus est mediator inter Deum et homines 1. *Tim*.2 5. et mediator noui fœderis *Heb*.8. 6. et 9.15. et 12.24. Neque sancti sunt nostri Aduocati, sed Iesus Christus iustus 1. *Ioh*. 2.1.

Citat *Theodosius Basilium* dicentem, Verum etiam in bello fortia virorum facinora, & historici scriptores, & pictores sæpe denotant: hi quidem oratione exornantes, hi vero in tabulis depingentes, vtrique etiam multos ad virtutem excitarunt.

Basilij sententia historicam imaginum repræsentationẽ commendat, at venerationem imaginum non statuit, quam hoc impium Concilium tuetur, vt suo loco ostendetur.

Citat ad hunc finem *Chrisostomum Theodosius* dicentem, sanctorum enim gratia morte non amputatur, interitu non obtunditur, sed & post mortem viuentibus sunt potentiores.

Hoc dictum *Chrisostomi* verum est, et tamen ad imaginum venerationem statuendam nihil prodest, quandoquidem sancti viuentes non dederunt suas imagines venerandas, sed imaginum cultum vt idololatricum respuerunt.

Eiusdem *Theodosij* anathematismus 4. ita conscriptus est, Qui ex animo Christianum populum non docent venerationem sanctorum & honorabilis imaginũ omnium sanctorum qui ab initio Deo placuerunt, Anathema.

Si hoc impium decretum verum esset, anathemate damnarentur antiqui Prophetæ qui non docuerunt imagines sanctorum qui ab initio mundi fuerunt, esse venerandas. At lætamini cœli et vos sancti Apostoli et Prophetæ quoniam Deus iudicauit causam vestram aduersus illam meretricem Babylonem iuxta prophetiam *Apocalypseos*.

Gregorius Pissuntinum Episcopus citat Apostolorum Synodum Antiochenã dicentem, seruatos non debere amplius post idola aberrare, sed certandum esse ante columnan Dei et hominis Iesu Christi.

Fateor me ignorare Synodum illam, tamen columna Christi non significat eius imaginem. Nouimus Christum in columna nubis diu, & ignis noctu coram Israelitis incessisse, et Christus etiam qui habet faciem soli similem *Math*. 17. et *Apoc*.1. habet pedes vt columnas igneas *Apoc*. 10. Coram eius spirituali columna adorandum ergo est, vt in spiritu adoretur, iuxta præceptum *Io*. 4. non autem coram terrena imagine, quæ falso columna nuncupetur.

Idem *Gregorius* citat Isidori, *Pelusiotæ* verba dicentis ναὸς λόγος οὐδεὶς ὅτι δίχα ἄγαλμα. Templi ratio nulla est, quod non ornatur agalmate.

Hic

Hic *Isidorus* loquitur de imaginibus ad ornatum, non ad venerationem inductis, si de imaginibus loquatur. Qua de re vide infra sententiam *Stephani* Bostrorum Episcopi.

Leo Episcopus Rhodi ait, ex legali prophetica, Apostolica, patrumque traditione instructi sumus hanc esse veritatem, pietatemq; , vt in sanctis ecclesijs venerandæ imagines colantur.

Hic *Leo* nomen tulit generosi animalis, at eius sententia ostendit eum fuisse ex vili specie reptilium et serpentum, qui Apostolis et Prophetis tam impudentem calumniam conijcere non dubitauit. Quæso num Lex hoc docuit? Nonne lex prohibet omnem similitudinem? Nonne imagines sunt similitudines? nonne sunt similitudines eorum qui sunt in cœlo?

Ergo de illis loquitur decalogus, & nominatim prohibet ne eas honoremus aut adoremus, sicut etiam genuflectio, est adoratio, eam igitur prohibet Lex absque vlla distinctione venerationis latriæ, duliæ aut hyperduliæ. Ergo nulla prorsus est statuenda veneratio aut genuflectio imaginum, et quod decalogus docet, idē confirmant Prophetæ et Apostoli, & idem tradiderunt, nec ex eorum traditione orta est hæc superstitio. Nam filius hominis bonum semē seruit, sed inimicus noctu hæc zizania immiscuit. Et iā quæso si *Ezechias* serpentem æneum figuram inquam Christi a *Mose* ex mandato Dei erectam confregit, eo quod populus suffimenta offerebat, nonne eadem ratione *Leo Isaurus* potuit imagines quibus suffimenta offerebantur, & quæ colebantur destruere? Imo debuit, sed Antichristus suam quam a Dracone acceperat authoritatem opposuit.

Gregorius Pissuntinum Episcopus proponit Diui *Chrisostomi* sententiā hanc ἐγὼ καὶ κηρόχυτον ἠγάπησα γραφὴν εὐσεβείας πεπληρωμένην. Diligo inquit ex Cera fusa descriptionem pietatis plenam.

Chrysostomus hic dicit se diligere descriptionem ceræ fusilis pietatis plenam at non se imagines venerari, vt hoc prophanum & impium Concilium: frustra igitur ad impium finem eius sententia detorquetur.

Thrasius Patriarcha hæc dixit, debueras aures aperuisse & *Paulum* diuinum Apostolum audiuisse dicentem: traditiones quas accepistis siue per sermonem siue per epistolas nostras seruate, 2. *Thes.* 2. 15. et iterum *Tito* et *Timotheo* scribentem, Impuras verborum vanitates respuite. 1. *Tim.* 6. 20. & 2. *Tim.* 2. 14. & *Tit.* 3. 9. Quid autem impurius & vaniloquentius, quam Christianos idololatria accusare?

Imo aperi aurium tuarum meatus ita vt digitus immitti queat, tamen in diui *Pauli* scriptis nihil audies quod cultui imaginum faueat. Nemo vero Christianos de idololatria accusat, at tua serpentina versutia nō potest Antichristianos de idololatria excusare.

In eodem Concilio inserta est epistola fabulosa *Adriani* Papæ ad *Constantinum* & *Hirenem*, in qua fabula inducitur de imaginibus *Petri* et *Pauli* ex fabulosa donatione *Constantini* magni, quæ satis refutata sunt proprio capite, & ideo ea omittimus.

In eadem epistola *Adrianus* Papa commendat sententiam *Gregorij* Papæ 1. Dicentis ob id depingi in templis Euangelicas historias, vt homines illitera-

ti,& qui sacros libros legere nequeunt (quorum sane maxima pars est) conspectis illis redderent Deo gloriam, et reducerent in mentem quæ in carne conuersatio Domini nostri Iesu Christi fuisset.

Hæc citatio vera esse potest, conuenit enim cum doctrina eiusdem *Gregorij* epist. Tom. 10. epist. 4. vbi laudabat *Massiliensem* Episcopum, quia imaginũ cultum prohibuisset, reprehendebat vero illum quod imagines destruxisset. Ex quo loco apparet falso ei tribui aliam epistolam ad *Germanum* Patriarcham Constantinopolitanum, quæ epistola contra ipsius *Gregorij* doctrinam cultum imaginum comprobat, & ideo falso ei ascribitur in *Act.* 2. huius Synodi.

Et ex eadem epistola 4. Tom. 10. epistolarum *Gregorij* qua historice in templis positas imagines cõprobat, vt eorum cultum improbat, apparet Imperatores & pontifices Romanos ante suum tempus non coluisse imagines, falso igitur hic Papa *Adrianus* ait antiquos Imperatores cum toto populo et sacerdotibus iuxta sanctorum Patrum traditionem imagines veneratos fuisse.

Citat quoque locum *Ioh.* 4. Deus est spiritus, et ideo in spiritu vult adorari. Cur ergo in corporea et terrena imagine vult deum adorare quem in spiritu adorare debuit.

Citat creationem hominis ad imaginem Dei, ita est, Deus viuus viuam sibi formauit imaginem: at prohibuit cultum et honorationem imaginum manufactarum & OMNIVM SIMILITVDINVM *Exod.* 20.

Ait insuper, Quæcunque in admonitionem hominum ad Dei gloriam spectantia sunt Deo displicere nequeunt. Ita est, at obedientia sacrificio melior est et ipsa inobedientia est vt idololatria 1. *Sam.* 15. 22. Est ergo contra dei gloriam infringere mandatum Domini *Exod.* 20. 4. in constituenda imaginum & similitudinum veneratione.

Detorquet etiam locum vbi *Iacob* dicitur adorasse super summitatem baculi sui. At hoc non spectat ad imaginum venerationem, nitebatur baculo senex debilis et infirmus non adorabat baculum.

Argumentum etiã trahit ex Cherubinis artificiose elaboratis, et in tabernaculo *Mosaico* constitutis. At nullæ preces, nulli suffitus, nullæ oblationes dirigebantur ad ipsos Cherubinos nec ad illos quos designabant, sed ad Deum solum, non ergo cultus aut venerationis, aut superstitionis gratia in tabernaculo aut templo conditi erant, sed instructionis. At *Adrianus* ex eo non conatur constituere imagines in templis, simplicis & puræ instructionis gratia, sed propter venerationem & cultum, quod est contra Dei verbum.

Sed hoc (inquit *Adrianus*) O serenissimi Imperatores, ad incredulorum certiorem fidem & errantium castigationem adijciendum est. Non frustra *Mosi* famulo suo, quemadmodum in libro *Numerorum* legitur, propter pestem in populum grassantem præcepisse, fac serpentem & pone illum in signum, & qui tactus fuerit, illumque inspexerit viuet. Fecit igitur *Moses* serpentem æneum, & posuit illum et seruati sunt. O insaniam frementium aduersus fidem & cultum sacrum Christianorum, O stultitiam vetantium venerandas imagines honorari, in quibus seruatoris nostri cuius potentia genus humanũ

& constat adhuc & seruatur, et præterea genetricis eius omniumque sanctorũ historiæ continentur. Nam si Israeliticum populum per inspectionem æneі serpentis, seruatum a sua peste credimus, Christi vero Dei & seruatoris nostri, omniumque sanctorum figuras contemplantes & venerantes, dubitamus nos seruari?

Adrianus Papa & *papilio* persimiles sunt, ludit *papilio* cum lumine candelæ quo comburitur, ita & Papa ludit cum lampade verbi Dei cuius lumine condemnatur. Omittam enim quod ait serpentem propter grassantem pestem fuisse erectum, non propter pestem, sed propter serpentũ morsus fuit erectus. Venio ad id quod ait de serpentis erectione, ex quo imaginum venerationem & cultum vult deducere. Fuit serpens eleuatus in signum & figuram, erat autem figura Christi serpentis ophiomachi in cruce pendentis, qui sicut serpens *Mosis* deuorauit serpentes Ægypti, ita & hic ophiomachus saluat populum suum a veneno serpentum in deserto, & est semen mulieris conterens caput serpentis. Licuit figuram ipsius inspicere & sanari, at non licuit serpentẽ colere aut ei suffimenta aut oblationes dirigere, cur igitur *Adrianus* eius doctrinam detorquet ad venerationem imaginum? Nonne cum primum Israelitæ serpenti æneo suffimenta incenderent, *Ezechias* pius Rex cum destruxit? sic etiam iure pius Imperator *Leo Isaurus* destruebat imagines, quibus suffimenta incendebantur, & cultus instituebatur, at meretrix Babylon aduersus pium Imperatorem suas fornicationes spiritualiter dictas tuebatur, id est idololatriam suam.

Adijcit authoritatem *Gregorij Nisseni* qui cum *Abrahami* pictam cerneret historiam, lachrymabatur, miseret nos lachrymarum ipsius, sed ad historicam non ad superstitiosam imaginum institutionem spectat.

Citat quoque *Basilium* dicentem, suscipio Apostolos et Prophetas, et Martyres qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit, et remissionem peccatorum mihi largiatur. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro et palam adoro.

Falso hoc *Basilio* tribuitur, qui tale nihil somniauit, tamen rem ipsam perpendamus. Non negamus quin charitas in sanctis etiam post mortem permaneat, & quin generaliter pro nobis orẽt, at quod specialiter pro hoc aut illo orent negamus, quia nos non norunt. Ait enim *Isaia* de *Abrahamo* et *Israelo* defunctis. *Abraham* nesciuit nos, et *Israel* ignorauit nos. Adorationem quoq; historiæ imaginum illorum vt contrariam Dei verbo respuimus, nisi quis per historias imaginum Apostolorum intilligat Dei verbum, illud quidem in summo honore est habendum.

Athanasij citationem prætereo quæ ad historicam imaginum institutionem spectat, et ad locum *Ambrosij* pergo, qui est ad *Gratianum* Imperatorem. Quid ergo inquit, nunquid cum diuinitatem et carnem adoramus Christum diuidimus? Num quando eius diuinam imaginem et crucem adoramus ipsum partimur?

Hic videndũ est quid per diuinã imaginẽ et crucẽ intendat, si terrenam imaginẽ intelligeret non eam diuinã vocaret. Videtur ergo per diuinam imaginẽ intelligere naturã diuinã vt *Cyrillus* Thesauri lib. 4. cap. 2. et per crucem affli-

ctionem humanæ naturæ, hoc si ita exponatur, pie sumi potest. Si ad terrenā imaginem aut terrenā crucem transferatur, nō debet adorari figura Christi in serpente æneo terreno, nec in imagine aut cruce terrena.

Subijcit ex *Stephano* Bostrorum Episcopo quod imago aliud est, & aliud ἄγαλμα, et quod ἄγαλμα sit abiecti animalis statua.

Cur ergo superius *Gregorius* Pissuntinum Episcopus ex *Isidoro Pelusiota* dixit Templi nulla ratio quod non ornat agalma?

In actione 3. eiusdem Synodi in literis Synodicis *Theodori* patriarchæ Ierosolymitani, proponuntur reliquiæ sanctorum adorandæ, & adducitur testimonium *Athanasij* dicentis, martyrum ossa morbos fugare, infirmis mederi, cæcis visum impartiri, lepras emundare, tentationes & mœrores soluere.

Athanasius apud Romanos magni nomen sortitus est. Orientales eum de multis criminibus accusarunt, Romani excusarunt. Num ijsdem artibus quibus Apiarium tuebantur iniurias inferendo et recriminando, hoc incertū est, tamen sit accusatus iuste aut ex inuidia nostra non interest. Hoc vnum verū est, cum multa egisse quæ approbari nequeunt, vt eius praxes quibus obtinuit literas Imperatoris Occidentis, contra Imperatorem suum, vt si nollet ei restituere Episcopatū Alexandrinū, ipse vellet eo inuito ipsum restituere, præstabat carere Episcopatu quam tales literas obtinere quæ altam proditionem contra proprium Regem sapiunt, & *Constantium* exasperabant, & irritabant contra *Orthodoxos* vt magis faueret *Arrianis*. Secundo in aliena prouincia ordinare præsumpsit contra omnes regulas ecclesiasticas, & causa fuit celebrationis Conciliabuli Sardicensis, et hæc quam proferunt de illo Romani sententiam superstitionem et nimiam credulitatem sapit. At quamuis ossa mortuorum miracula ederent, non sequeretur ea debere adorari. Ossa *Elizæi* prophetæ mortuum excitarunt, et tamen ab Israelitis non adorebantur.

Papa *Adrianus* dixit diserte se adorare & colere imaginem Christi, & Deiparæ Virginis, & se colere et adorare imagines sanctorum, ita tamen vt iuxta *Basilij* sententiam honor imagini exhibitus prototypo referatur.

Est latibulum erroris, suffimenta quæ serpenti æneo incendebantur non carebant tali prætextu, nihilominus eius cultus omnino reiectus fuit. *Paulus* et *Barnabas* respuerunt cultum sibi oblatum, qui si vlla ratione admitti potuisset, non fuisset cum scissione vestium reiectus. Angelus etiam noluit a diuo *Iohanne* adorari dicens, ego sum seruus sicut et tu, Deum adora, ostendens vnum Deum esse adorandum iuxta præceptum legis, non autem eius seruos e quorum numero ipse erat.

Idem Papa *Adrianus* dixit, Cherubinos & Arcam et mensam tabernaculi quæ erant manufacta & in tabernaculum *Mosaicum* reposita, fuisse adorata & ideo scripturam satis crasse admittere venorandas imagines.

Imo scriptura omni ratione prohibet cultum imaginum & hoc spiritualiter & subtiliter et nihil contra hoc crasse admittit, sed Antichristus crasse imponit scripturæ et *Mosi*. Quis vnquam precatus est mensam aut arcam, aut Cherubinos, aut Cherubinorum prototypon? Imo omnia suffimenta et preces dirigebantur ad eum qui sedet super Cherubim non autem ad ipsos Cherubinos, aut ad eorum prototypos. Ne ergo tu tuas preces aut suffimenta aut oblatio-

oblationes offeras imaginibus, aut eorum prototypis sed Deo et tunc non errabis.

Constantinus Episcopus Constantiæ in *Cypro* dixit se suscipere & amplecti venerandas imagines, adorationem vero quæ fit secundum λατρείαν hoc est dei culturam, supersubstantiali et viuificæ Trinitati conseruare.

Sunt qui diuidunt honorem in honorem latriæ, duliæ, et hyperduliæ, & ita consimiliter cultum & adorationem trifariam dispescunt. At sumant quascunque voluerint distinctiones tamē sub nulla consistere poterit adoratio aut cultus imaginum. Nam Deus diserte prohibuit honorare & adorare omnem similitudinem cuiuscunque rei fuerit atque hoc absque vlla distinctione aut restrictione, et se zelotem esse professus est, cultus imaginum, ne quis præsumat prouocare Dei zelotypiam aut zelum et iram.

Proferunt authoritatem *Athanasij* narrantis historiam de quadam Christi imagine inuenta *Beryti* quam affirmat *Nicodemum* propria manu delineasse, & ad viuum depinxisse et tandem prouocatam a Iudæis, sanguinem emisisse.

At quis non videt esse fabulam, *Nicodemus* enim erat Iudæus et Pharizæus, & Iudæi tunc abhorrebant ab omni imaginum pictura, et Iudæi qui ad Christum conuersi sunt sequebantur consuetudines Iudæorum, vsque ad tempus conuersionis *Cornelij* centurionis, & Concilij Ierosolymitani primi. Omitto alia verisimilitudine carentia, vt quod Iudæus in parua casula habitans per aliquot dies in cœnaculo suo procerā imaginem non viderit, et quamuis detur miracula edidisse, non tamen tanta et tam celebria quanta serpens in deserto, nec fuit Deo mandante erecta vt serpens æneus. Cur igitur licebit eam adorare potius quam serpentem æneum?

Duo egregia facinora scilicet, impia præstitit *Hirene* Imperatrix. Hoc impium Concilium celebrauit, & proprium filium *Constantinum* 6. Imp. oculis orbauit, non poterat tam impium Concilium prodire nisi a scœlesta et impia parricida.

Huius idololatriæ causa sunt pontifices Romani qui venerationem imaginum defenderunt contra Imperatorem *Leonem Isaurum* et *Constantinum* 5. Imp. eius filium et alios, eosque persequuti sunt vt hæreticos, quia exemplo pij *Ezechiæ* destruxerant serpentē æneum, id est imagines quibus suffitus incendebatur, et cultus instituebatur, & ea in re compleuerunt prophetiā *Apocalypseos*, ostendentes ciuitatem illam quæ habet Dominium super gentes scilicet Romam esse meretricem Babylonem matrem omnium abominationum. Nam idol latria spiritualiter vocatur fornicatio.

Quinetiam et Pontifices Romani crepidam suam osculandā præbent Imperatoribus, id est adorandam, flexo genu, qui mos adorationis fuit prius ab impio *Diocletiano* institutus cum seipsum vt Deū fratrem solis et lunæ adorandum præberet, vt testatur *Pomponius Letus*. Idem prius *Caligula* fecisse legitur. Sic Reges et principes adorant bestiam iuxta *Apocalypseos* prophetiam. At tandem excitabuntur decem cornua quæ dederunt potestatem Bestiæ & eam reddent nudam et desolatam et eius carnem igne cremabunt. Nam Imperatores Romani excitarunt decem persequutiones contra Chistianos, fuerunt ergo decem Reges persecutores et compepetentes agnum, hæc

sunt proprie decem cornua bestiæ, at Synechdochicos, decẽ cornũa generaliter pro Imperatoribus quibuslibet, aut pro Imperatore in genere sumuntur. Sic fit vt ea omnia quæ de illis in *Apocalypsi* prædicuntur aut completa iam sint aut complementum suum habitura. Nam ea ratione decem cornua persequuta sunt Agnum id est Imperatores (Græce Reges) persequuti sunt Christum, & Christus vicit illos, *Constantino* in signo crucis vincente, & *Iuliano* Apostata clamante O *Galilæe* vicisti. Et decem cornua dederunt potestatem bestiæ, & Concilium cum Bestia inierunt & potestatem suam Bestiæ dederunt, non quidem decem illi persecutores, sed Imperatores generaliter per decem cornua designati, vt *Constantinus* magnus et alij potestatem suam bestiæ dederunt, fiet vero tandem, et breui vt decem cornua adimant potestatem bestiæ, & eam reddant nudam et desolatam, hoc est vt Imperatores generaliter loquendo sicuti dederunt Bestiæ potestatem et ei ad tempus adhæserunt, donec Dei voluntas et tempus præstitutum compleretur, sic tandem velut a somno profundissimo excitati agnoscant Dei voluntatem omnino ab Antichristo alienam, et repetant ea iura quæ Antichristus nullo iusto titulo possidet vt fur, non vt bonæ fidei possessor, qualis erat filius perditionis Iuda Ischariota, cui vere succedit Antichristus falso iactans *Petri* successionem, nam fortasse *Petro* succedit quoad locum terrene sumptũ, at quoad exequutionem officij non *Petro* sed *Iuda Ischariota* succedit.



Ad tria sequentia paradoxa Præfatio.



Ersatus erã Lutetiæ per aliquot annos cum pestis cœpit grassari, quo tempore generosus Lotharingus, vir pius & vere Christianus & inter paucos bonos eosq; selectissimos connumerandus Dominus *Philippus Brunius* de me quædam audiret. Is vixerat in patria vicina meæ apud Ducem. *Vsez*, & ibi cum multis nobilibus meæ patriæ familiaritatem contraxerat, etiam cum quibusdam affinibus meis. Ad me itaque misit, cupiens vt ad se venirem in Lotharingiam, professus se diligere patriam meam, & me apud ipsum tanquam fratrem futurum, quid multis? gratias egi pro ipsius humanitate & apud illũ fui per annum integrum donec pestis cessaret. Ibi Chronologiam Gallice composui, eamque Lutetiam misi communicandam & typis edendam. Accidit plane contra voluntatẽ meam vt ea sola quæ Chronologica erant censenda traderentur, quædam vero Theologica interserta non communicarentur. Ego vero magis cupiebam vt Theologica alijs ostenderentur, vt auditis aliorum oppositionibus omnia circumspectius ederentur, & quia sperabam me perpendere posse aliorum iudicia negligentius ea proponebam limam denuo additurus. At quum ita absque censura excuderentur, dura rudi stylo & obscura prodierunt, vt plane essent edita non edita, & ideo a meipso negligebantur, donec possem eorum solutionem celebriorem edere. Aliqui vero vt solent voluerunt statim ea de errore accusare, ego quibusdam respondi paradoxa esse, id est problemata ænigmatica subobscura, tamen vera, & orthodoxa. Verum cum aliqui me nimis vrgerent interdum, eis dixi me non ea proposuisse vt aliquos conturbarem, & in illis nihil esse contrarium doctrinæ Christianæ aut Reformatæ, nec velle me persuadere vt quis meis credat scriptis, nisi quatenus ea viderit cum Dei verbo consona. At si quis vellet asserere ea non esse orthodoxa offerebam scriptam disputationem priuatim, pollicebar quoque me omnem charitatem allaturum, eis debitum ferens respectum, idque in mea patria accidit, neque propterea vinculum Christianæ societatis soluebatur, testis ciuitas Castrensis, & Real mons. In Germania vero cum simile quid accidisset, misi *Theses* quæ oblatæ fuerunt Doctissimis viris non vt eos prouocarem sed vt scirent me paratum esse modeste & christianè ad meã causam defendendam. Verum Dominus de la Noue, vir magnificus & præstantissimus pro sua humanitate ad me scripsit, dissuadens a disputatione, cuius ea de re Epistolam ad me propria ipsius manu conscriptam propter egregij viri respectum custodio, hæc etiã modeste transierunt, manente vinculo Christianæ societatis integro, quod ego

obtestor me non fregisse. Si alij frangant, eorum culpa sit. Deus meam hac in re nouit innocentiam & ipse efficiet vt tandem eam homines agnoscant. Hoc tamen obiter dico si mea paradoxa & quorundam paraloga simul conferrem, magna inueniretur differentia quoniam mea paradoxa sunt orthodoxa. At ego pallio charitatis aliorum næuos obtego, cupiens eorum sententiam in melius dirigere, quod scio me posse ex gratia quæ data est mihi, Si ipsi sapérent, vt sanum amplecterentur consilium. Si vero sibi mature non consulant, ventum ex suo labore metent, ego vero propter illos dolebo. At vt ad mea paradoxa redeam, ea paucis explico, & Christianos rogo vt exacte perpendant tamen nec illa nec alia mea scripta admittant, nisi quatenus cum Dei verbo consentient. At si cum Dei verbo consentiant, eis non resistant, durum enim est impingere in lapidem, sunt autem etiam optimæ arboris fructus præcoces asperi, maturi sunt dulciores, & *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*, ita & hæc expositio maturior prima editione, vt spero etiam gratior erit. Sunt paradoxa de quibus loquor præcipua hæc tria. De triplici *Adami* statu innocentiæ, iniustitiæ, & iustitiæ. Item de tribus partibus hominis, & de generali mundi duratione.

De primo & secundo Adamo.



NVlla cognitio est præstantior cognitione Dei & hominis, & nulla hominis cognitio celebrior cognitione *Adami* primi & secũdi. Primus *Adam* est omnium parens, secundus omnium creator & redemptor. Et nulla oppositio præstantior, oppositione horum duorum. Et quia horum cognitio excellens est, eam præ cæteris quæremus, & conabimur illustrare ea quæ ad hanc quæstionem spectãt, & inuestigare rationem similitudinis & dissimilitudinis quam Doctores quidem attigerunt, non tamen ita perspicue & exacte vt cupiendum est, neque ea ratione vt ex ea omnia innotescant quæ ex hac doctrina pendent. Et tamen multa loquuti sunt Doctores aliqui etiam vana & superflua, quæ quia ad fundamentum quæstionis non spectant, ideo a nobis omittentur.

Ego certe non oratorum more vtar insinuatione, sed Apodictica via rem ipsam initio aggrediar. In *Adamo* triplicem statum considero primum quidem innocentiæ, secundum iniustitiæ, tertium iustitiæ.

Primus status *Adami* fuit status *γενέσεως* seu creationis primæ & antiquæ. tertius status *Adami* fuit status *ἀναγεννήσεως* seu *παλιγγενεσίας* regenerationis seu secundæ & nouæ creationis.

Innocentia a non nocendo dicitur, aut is innocens est in quo non est causa cur reprehendatur, Græce *ἀναίτιος* merito Latine innocens vertitur Matth. 12. 7. proinde innocens est qui caret labe aut culpa aut peccato, & qui nemini nocet, aut nocere studet.

Adamum sub statu creationis innocentem fuisse apparet ex eo quod non peccauerat, non enim peccauit nisi seductus, nec prius peccauit quam seductus fuerit.

Status

Status innocentiæ bonus fuit, quod tamen nolo deducere ex eo quod omnia quæ Deus creauerat, erant bona, vt aliqui ex eo *Adami* bonitatem deducunt, ratione nimis longe petita. Nam etiam Lupus est creatione bonus, & est bona creatura & tamen non est bona bestia. Aconitum est bona creatura & tamen non est bonum pharmacum. Et ea quæ inueniuntur mala tamen sunt bonæ creaturæ, quoniam Deus ijs omnibus vti nouit ad bonum finem, etiamsi homines eis abutantur. Vt ergo hominem bonum probemus, non opus est ad ea recurrere quæ de omnibus creaturis absque vlla distinctione scripta sunt, sed ad ea quæ de homine scripta repeiiuntur. Quod videlicet Deus creauit hominem rectum ex sententia *Salomonis*. Cum homo rectus creatus sit, bonus quoque creatus est, & non iniquus aut iniustus.

Iustitia & innocentia differunt, in eo quod innocentia non nocet, iustitia vero prodest.

Iurisconsulti quærunt ius naturale in ipsis brutis animantibus, nos consimili ratione possemus statuere quædam animantia innocentia, vt columbas, turtures, oues & boues. Alia quæ innocentia non sunt vt Vulpes Lupi & serpentes, & columbæ: & oues dici quidē possunt innocentes, non iustæ, quia iustitiæ sūt incapaces, etiam si in quibusdam brutis quædam iustitiæ scintillæ emicare videantur vt in canibus amor heri sui, in ciconijs naturalis erga parentes στοργή. Hinc fit vt boni comparentur ouibus; mali vulpibus, vt *Herodes*: mali pastores, Lupis, Scribæ & Pharizæi hypocritæ serpentibus.

Triplex est ad iustitiam gradus, primus est innocentium: secundus iusta facientium: tertius iustitiam facientium.

Innocentes censentur infantes ab *Herode* occisi sub aduentu Christi, quia nemini nocebant. Iusti censeri nequeunt quia boni nihil agebant.

Qui iusta faciunt iusti non censentur quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro, sic zelus iustitiæ non saluat Iudæos quia eorum zelus caret scientia, & quamuis multa iusta opera ederent tamen ex illis non iustificantur. Qui etiam opera bona agunt vt videantur ab hominibus, non iustificantur, quia iusta quidem sed non iuste agunt.

At qui facit iustitiam iustus est, 1. Io. 3. 8. & omnis qui non facit iustitiam non est ex Deo, ibid. v. 10. Ij sunt qui iusta & iuste & ex fide operantur.

Insuper differt innocentia a iustitia, quia innocentia est fragilis, labilis, debilis. Iustitia est fortis & constans, & sicut differt vitrum ab Adamante, sic differt innocentia a iustitia, percute vitrum malleo, primo ictu confringetur, percute Adamantem malleo, adamas chalibe durior integer permanebit, impone igni vitrum, liquescet, impone igni adamantem, igni resistet. Et innocentia *Adami* vitro persimilis primo ictu mallei tentationis absq; vlla prorsus resistentia confracta fuit, quare? quia carebat Adamantina iustitiæ virtute, qua malleo tentationis resisteret. Sume nunc Prophetas & Apostolos & fideles, ij cruce & omni genere tormentorum probati, serpenti restiterunt. Habes *Adamum* innocentem, quem metus mortis non potuit in innocentia retinere; habes fideles qui ferunt imaginem secundi *Adami*, quos mortis cruciatus non possunt a iustitia sua auellere.

Ait *Salomo* iustum esse fundamentum perpetuum, qua ratione docet iusti-

[illegible]

Regeneratione exuit *Adam* ſeipſum id eſt veterem *Adamum* vt indueret nouum, proinde in eo non amplius primus ſed ſecundus *Adam* ſpectatur. Et ex eo apparet quinam ſint ij qui ferunt imaginem primi *Adami*, videlicet ij qui cum baptizantur pro innocentibus habentur, & tamen fragiles ſunt, aut quicunque humana fragilitate & infirmitate peccant, quos ſacra Scriptura filios *Adami* interdum vocat. Nam filij ferunt imaginem patris ſui, at alij ſunt homicidæ filij Diaboli, ſerpentes & progenies viperarum qui neque *Adami* primi nec ſecundi imaginem ferunt, ſed patris ſui Diaboli ſerpentis antiqui. Alij ferunt imaginem ſecundi *Adami* videlicet fideles.

Oppones renouationem quæ docetur Coloſſ. 3. & Epheſ. 4. Imo ego moneo ne tam craſſe ſumas illam renouationem vt aliqui mihi eam obtruderunt, exiſtimant enim per illam renouationem quæ eſt regeneratio nobis reſtitui ſtatum primi *Adami*, quibus facile ignoſci debet, quoniam neſciunt quid dicunt. Non enim per regenerationem reducimur ad ſtatum primum *Adami*, id eſt ad eius imaginem, ſed ad imaginem ſecundi. Etenim *Adam* primus etiam in primo eius ſtatu, fuit de terra creatus, nos non denuo de terra creamur, ſed de cœlo: *Adam* in primo eius ſtatu fuit creatus in anima viuente, nos non regeneramur in anima viuente, ſed in ſpiritu viuifico. Illa natura fragilis & vitrea innocentiæ *Adami*, inueterata eſt, & nos ea ratione renouamur, vt ſi quis ex volubili mercurio aurum faceret, ex vitro adamantem omnino præſtantiorem induens formam, qua de cauſa etiam dicimur transformari ad imaginem creatoris.

Oppones ſententiam Doctorum tribuentium *Adamo* iuſtitiam, vt Aug. Tom. 4. Dialog. ad *Oroſ*. Ad imaginem inquit ſuam creauit eum quia iuſtum & ſanctum & verum, ſicuti eſt, creauit: ad ſimilitudinem, quia immortalem & æternum condidit ſi non peccaſſet, ſed ſtatim vt peccauit, imaginem & ſimilitudinem perdidit. Sic *Tom*. 3. in *Enchirid*, c. 106. ait ad iuſtitiam retinendam, non ſuffeciſſe liberum arbitrium, ſine diuino auxilio. Sic & alij vocant ſtatum illum *Adami* primum, ſtatum originalis iuſtitiæ.

Reſpondeo Doctores ſeipſos exponere, & ideo proponam huius rei explicationem ex D. *Auguſtino Tom*. 10. Serm. 11. de verbis Apoſtoli, Creatus, inquit, eſt primus homo in natura ſine culpa, in natura ſine vitio, creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum. Quid ſe fecerit notum eſt, cadens de manu figuli fractus eſt, &c. Eſt plana innocentiæ deſcriptio. Et Tom. 3. de Eccleſiaſtic. dogmatib. c. 22. firmiſſime, inquit, credendum eſt, in præuaricatione Adæ, omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe. Hic per innocentiam exponit iuſtitiam quam ſuperius poſuerat, quid vero per poſſibilitatem exponat, intelliges ex Tom. 7. contra duas Pelag. Lib. 1. cap. 2. Libertas, inquit, periit, ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, itaque cum iuſtitiam *Adamo* tribuit non plenam iuſtitiam eum habuiſſe intelligit, ſed poſſibilitatem & innocentiam, quam exponit libertatem habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, ergo nec plenam immortalitatem, nec plenam iuſtitiam habuit, ſed ſi tentationi reſtitiſſet, & lignum vitæ comediſſet, tunc habuiſſet cum immortalitate plenam iuſtitiam. At quia eo non peruenit, ideo plenam iuſtitiam non habuit, ſed innocen-

tiam esse constantem, & ea ratione ab illa fragili *Adami* innocentia differre. Et certe Apostoli & prophetæ sunt iusti & positi tanquam lapides preciosi & vniones pro fundamento perpetuo Ierusalem de cœlo descendentis quæ est paradisus præstantior & melior terreno illo Paradiso in quo *Adam* consistere nequiuit. *Adam* cum sua innocentia in terreno Paradiso, non potuit peruenire ad manducandum lignum vitæ.

Hic possem opponere primum *Adamum* secundo eo quod primus semel tentatus succubuit, secundus triplici tentatione exagitatus restitit, primus tentatus, deuictus fuit & superatus, secundus victor extitit. Et mundum & mortem & peccatum vicit, quibus primus *Adam* succubuerat At quid opus est hac oppositione, cum iusta oppositio ext[illegible]t inter ipsum *Adamum* & eos qui ferunt imaginem secundi qui vincunt victorem primi *Adami*? Et hæc est victoria scilicet fides nostra, 1. Io. 5.4.

Hoc autem audacter dicam, me hæc docere, præter Doctorum sententiam. Nam Doctores opponunt secundum statum *Adami*, secundo *Adamo*, vt primum *Adami* statum extollant, qua in re doctrinam valde ieiunam proponunt, nec aliquam ea ratione egregiam oppositionem astruere possunt. Ego certe possem eorum sententiam sequi, & ei insistere, nisi ab ea etiam D. *Paulus* me auelleret, & cogeret recurrere ad præstantiorem illam innocentiæ & iustitiæ oppositionem. Nam qua ratione aut quo iure subijciar ego sententiæ dormitantium Doctorum? Nonne potius imitabor mulierculam illam quæ a *Philippo* dormitante ad *Philippum* vigilantem appellabat? Sic etiam & ego a dormitantium hac in re Doctorum sententia, ad eosdem vigilantes appellabo. Nemo enim est qui possit negare quin Doctores hac in re dormitauerint, nisi velit fascinare hominum mentes ne videant oppositionem quam D. *Paul.* astruit primi *Adami* & secundi. In eo enim quod πρωτόπλαστον *Adamum* in hac oppositione vocat *Adamum* primum, eius primum statum assumit, cum vt *Adamum* spectans vsque ad casum, in secundo enim non ipsius status fuit sed serpentis, tertius fuit secundi *Adami*.

Secundo D. *Paulus* opponit animalem *Adamum* spirituali, & eum animalem probat, non ex eo quod peccauit, sed ex eo quod scriptum est in *Adami* creatione *Adamum* fuisse factum in anima viuente, hoc ergo non ad casum, sed ad creationem refertur, & certe tentatio non fecit *Adamum* animalem, sed creatio cum animalem produxit, tentatio vero ostendit qualis erat ille status animalis, scilicet fragilis & infirmus.

Tertio probat hoc D. *Paulus* ex eo quod primus *Adam* de terra terrenus erat. At *Adam* non fuit de terra desumptus sub casu sed sub creatione. Tentatio vero ostendit qualis erat terrenus ille innocentiæ status, scilicet fragilis.

Quarto ait D. *Paulus* id quod animale est præcessisse, quod vero spirituale est subsequutum esse. Si igitur quod animale est præcessit & quidem in primo *Adamo*, nihil potes in eo quærere, quod præcedat eius animalem statum.

Necesse igitur est omnibus rationibus vt oppositio primi & secundi *Adami* constet inter primum *Adami* statum, innocentiæ fragilis, & constantem Christi & fidelium statum. Attamen D. *Paul.* *Adamum* primum spectat a creatione ad regenerationem complectens statum labilem & lapsum ipsum nam sub

Regene-

Regeneratione exuit *Adam* seipsum id est veterem *Adamum* vt indueret nouum, proinde in eo non amplius primus sed secundus *Adam* spectatur. Et ex eo apparet quinam sint ij qui ferunt imaginem primi *Adami*, videlicet ij qui cum baptizantur pro innocentibus habentur, & tamen fragiles sunt, aut quicunque humana fragilitate & infirmitate peccant, quos sacra Scriptura filios *Adami* interdum vocat. Nam filij ferunt imaginem patris sui, at alij sunt homicidæ filij Diaboli, serpentes & progenies viperarum qui neque *Adami* primi nec secundi imaginem ferunt, sed patris sui Diaboli serpentis antiqui. Alij ferunt imaginem secundi *Adami* videlicet fideles.

Oppones renouationem quæ docetur Coloss. 3. & Ephes. 4. Imo ego moneo ne tam crasse sumas illam renouationem vt aliqui mihi eam obtruderunt, existimant enim per illam renouationem quæ est regeneratio nobis restitui statum primi *Adami*, quibus facile ignosci debet, quoniam nesciunt quid dicunt. Non enim per regenerationem reducimur ad statum primum *Adami*, id est ad eius imaginem, sed ad imaginem secundi. Etenim *Adam* primus etiam in primo eius statu, fuit de terra creatus, nos non denuo de terra creamur, sed de cœlo: *Adam* in primo eius statu fuit creatus in anima viuente, nos non regeneramur in anima viuente, sed in spiritu viuifico. Illa natura fragilis & vitrea innocentiæ *Adami*, inueterata est, & nos ea ratione renouamur, vt si quis ex volubili mercurio aurum faceret, ex vitro adamantem omnino præstantiorem induens formam, qua de causa etiam dicimur transformari ad imaginem creatoris.

Oppones sententiam Doctorum tribuentium *Adamo* iustitiam, vt *Aug.* Tom. 4. Dialog. ad *Oros*. Ad imaginem inquit suam creauit eum quia iustum & sanctum & verum, sicuti est, creauit: ad similitudinem, quia immortalem & æternum condidit si non peccasset, sed statim vt peccauit, imaginem & similitudinem perdidit. Sic *Tom*. 3. in *Enchird*, c. 106. ait ad iustitiam retinendam, non suffecisse liberum arbitrium, sine diuino auxilio. Sic & alij vocant statum illum *Adami* primum, statum originalis iustitiæ.

Respondeo Doctores seipsos exponere, & ideo proponam huius rei explicationem ex D. *Augustino Tom*. 10. Serm. 11. de verbis Apostoli, Creatus, inquit, est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio, creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se fecerit notum est, cadens de manu figuli fractus est, &c. Est plana innocentiæ descriptio. Et Tom. 3. de Ecclesiastic. dogmatib. c. 22. firmissime, inquit, credendum est, in præuaricatione Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse. Hic per innocentiam exponit iustitiam quam superius posuerat, quid vero per possibilitatem exponat, intelliges ex Tom. 7. contra duas Pelag. Lib. 1. cap. 2. Libertas, inquit, perijt, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam; itaque cum iustitiam *Adamo* tribuit non plenam iustitiam eum habuisse intelligit, sed possibilitatem & innocentiam, quam exponit libertatem habendi plenam cum immortalitate iustitiam, ergo nec plenam immortalitatem, nec plenam iustitiam habuit, sed si tentationi restitisset, & lignum vitæ comedisset, tunc habuisset cum immortalitate plenam iustitiam. At quia eo non peruenit, ideo plenam iustitiam non habuit, sed innocen-

tiam, quam interdum vocat iustitiam, quia est primus ad iustitiam gradus. Itaque *Adam* innocens pleno iure censeri potest, at iustus si concedatur posse vocari secundum Doctores, scias iustitiam pro innocentia catachresticos vsurpari.

Dicunt aliqui *Adamum* fuisse iustum, quia dilexit Deum & proximum. Respondeo me non oppugnare iustitiam originariam, verum cum Scriptura sacra non primum sed secundum *Adamum* iustum vocet, & iustitia *Adamo* a Doctoribus tribuatur, ego tantum illam Doctorum *Adamo* tributam iustitiam, ex ipsis Doctoribus expono. Ista vero obiectio nihil efficit contra me, tamen valde cuperem vt omnia secundum rationem perpenderentur, ac primum, dilexit proximum, videlicet vxorem a qua diligebatur. At hoc non sufficit, ad ei tribuendam iustitiam Euangelicam dicente Domino Iesu Christo, si eos diligatis qui vos diligunt quam mercedem habebitis? nonne publicani idem faciunt? Matth. 5. 46. Itaque si iustus sit, tamen non ideo fuit iustus quia simpliciter dilexit vxorem, aliquid amplius requiritur, vt hoc argumentum valeat.

Dices eum dilixisse Deum, & ideo fuisse iustum. Respondeo me nulla ratione dubitare quin Deum dilixerit, at num toto corde, tota anima, & tota mente dilexerit, vt Euangelica phrasi possit censeri iustus antequam per Christum iustificaretur, dubitari potest, & hoc non sufficit asserere, sed opus esset probare. De dilectione autem illa non possumus differere, nisi secundum Christi verba, si quis habet mandata mea & seruat ea, is est qui diligit me, & rursus si quis diligat me, sermonem meum seruabit, Io. 14. 21. Iam quæso si Apostoli seruassent verba Christi, donec Pharizei eos auertere conati essent aut Satan ipse, aut persuasionibus aut minis: num diceres eos vt oportet Christum dilexisse? *Adam* vero verbum Dei seruauit, donec contrariam audiuerit persuasionem. Dixerat Deus qua die comedes ex eo, morte morieris, cum vero primum *Eua* audiuit serpentem dicentem: Non morte morieris, statim eam concupiscentia titillauit. Et *Adam* eousque custodiuit mandatum donec vxor contrarium suasit. Non ergo hæc obseruatio sufficit ad statuendam in *Adamo* iustitiam, sed fragilem innocentiam. Certe *Adamo* malitiam nemo tribuere potest, sumus omnes eius filij, non est nostrum accusare sed excusare parentes nostros, & certe in eius excusationem adducam argumentum ex fortissimo *Sampsone*, & sapientissimo *Salomone*, qui ambo a mulieribus seducti, vt *Adam* ab *Eua*, in graues casus inciderunt.

Insuper dixerat Deus *Adamo*, qua die comedes ex eo, morte morieris. Illa autem phrasis morte morieris est seuera assertio. *Eua* vero a serpente interrogata num ex omnibus fructibus horti comederent, abrupta tamē et versuta interrogatione, respondit se non comedere ex arbore scientiæ boni & mali, quoniam Deus prohibuerat ne ex illa comederent, neue eam attingerent, ne forte morerentur, at hæc sententia ne forte moriamini, dubia est, conuertebat ergo *Eua* Dei assertionem in dubiam sententiam: quis hoc docuerat? a quo edocta erat ita mutare Dei sententiam? Certe non apparet eam a serpente hoc didicisse. Tamen ipsa maliciose non protulit, at imprudenter & incaute & incircumspecte verba Dei mutabat, & quia hoc fiebat

præter intentionem malam, non erat peccatum, attamen ex eo apparet iustitiam in ipsis non fuisse. Nam certe prima virtus iustitiæ est prudentia. Agnoscamus igitur in *Adamo* fuisse fragilem innocentiam, & incircumspectam, non autem prudentem & constantem iustitiam.

Et interim potes conferre hanc obseruantiam verbi Dei primorum parentum, incircumspectam plane, cum fideli traditione verbi Dei ab Apostolis & Prophetis, qui Dei voluntatem varijs & innumeris modis & figuris ornatum exhibuerunt. Seduxit serpens mulierem, & semen mulieris Christus, confregit caput serpentis, sed hoc est etiam consolationi Matri nostræ *Euæ*, quod ex eius semine Apostoli duodecim & septuaginta Christi Discipuli ad prædicandum Euangelium missi fuerint, ad quorum prædicationem Satan tanquam fulgur de cœlo deturbatus fuit. Luc. 10.

Dicunt *Adamum* habuisse in Paradiso magnam rerum naturalium scientiam, ex eo quod nomina bestijs imposuerit, videant quæso num potius facultatem scientiæ, quam scientiam concreatam ei tribuere debeant, sicut congenitam possumus dicere facultatem scientiæ nobis, non congenitam scientiam. At ratio postulat vt sicut ipse velut in perfecta ætate creabatur, sic & illa facultas esset & prompta & matura, quæ in alijs hominibus cum tempore maturescit. Et hoc quoque non debet omitti. In Paradiso *Adam* brutis nomina imposuit, quæ fuerunt eorum nomina vt loquitur Scriptura, at num significatiua essent, non exprimitur. Et certe vxori suæ *Adam* nomen Isa, id est virissa significatiuum in Paradiso dedit. Verum extra Paradisum *Eua* dedit nomen præstantius & significatiuum quoque. Quinetiam *Eua* dedit nomina significatiua *Caino* acquisito, *Abelo* a patre Deo vel a Luctu, & *Setho* posito in locum *Abeli*. Quorum significatio ex Hebraica lingua deducitur, ex quo apparet Hebraicam linguam esse omnium primam. Et quum homines præstent brutis, præstant nomina hominum præ nominibus brutorum, & nominum hominum impositio extra Paradisum, impositione nominum brutorum in ipso Paradiso. Quod vero *Adam* locutus sit, & velut vno die aut in instanti perfecte potuerit loqui, non erat aliquid supernaturale, quum similiter in instanti sub confusione Babylonis, innumeri homines innumera idiomata noua loquuti sint, tamen singuli singula idiomata adepti sunt aut saltem singulæ Familiæ & gentes, non autem quilibet ex illis potuit plura idiomata loqui. At hoc fuit magis mirum quod Ierosolymis die Pentecostes accidit, quod singuli poterant innumera idiomata exprimere, & hoc fuit plane supernaturale.

Si *Adam* non peccasset, via ad vitam facilior fuisset, at nunc quanto plures sunt difficultates, tanto præstantior gloria victoriæ, quam per Christum obtinemus, quo plures sunt de quibus triumphatur inimici, & quo fortiores sunt, eo triumphus celebrior est. Et ideo quanto magis peccatum per *Adamum* abundauit, tanto magis per Christum superabundauit gratia. Quis posset victoriam contra carnem & eius concupiscentiam obtinere, nisi pugna nobis esset contra carnem inimicam? & quomodo nobis esset pugna cum carne, nisi propter *Adamum* Deus, terræ, id est terreno affectui carnalis concupiscentiæ maledixisset? Itaque gloria & hæreditas iustitiæ quam per Christum obtinemus, est excellentior ea quam per *Adamum* potuissemus obtinere iustitiâ.

Si *Adam* absque peccato permansisset in Paradiso *עדן*, id est deliciarum, qui hortus Eden ab Hebræis nuncupatur. Etiamsi ad illam aditus sit difficilior, vt merito *Esdras* agnoscit propter peccatum *Adami* aditum ad vitam difficiliorem esse.

De spiritu, anima & corpore, tribus hominis partibus.



CErnit omnia quæ sub aspectum cadunt oculus, & seipsum nequit intueri, omnia nosse conatur homo, & seipsum vix nouit. Tamen cœlica vox habetur illa γνῶθι σεαυτόν. Et certe si quis probè norit Deum & seipsum, is omnis veræ cognitionis attigit scopum. Nec potest quispiam hominis cognitionem assequi, nisi nouerit hominis partes & facultates. Ego certe etiamsi non singula quæ ad hanc notitiam spectant perlustrare decreuerim, tamen præcipua capita attingam. Philosophi tres animas constituunt, seu animæ triplicem speciem & gradum, scilicet vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, & sensitiuæ animæ facultatem sensitiuam & vegetatiuam tribuunt, rationali rationalem & sensitiuam & vegetatiuam triplicem inquam facultatem animæ rationali tribuunt. Et ita in homine duas partes constituunt, animam & corpus, & animæ tribuunt tres supradictas facultates. Alij tres etiam animas constituunt, vegetatiuam quidem, quæ est plantarum similiumque corporum: sensitiuam, quæ etiã motum voluntarium habeat, & præsit vegetationi: & rationalem, quæ rationis sit capax & particeps, & præsit sensui & vegetationi. Itaque in homine tres partes constituunt, spiritum immortalem, animam sensitiuam, & corpus vegetabile, seu secundum *Platonem* partem rationalem, partem irascibilem, & partem concupiscibilem.

Prior sententia magis recepta est. At posterior mihi videtur exactior, & rationes huius rei non leues proponam. Quibus docebo sacram Scripturam maiori ex parte, hanc vt potiorem sequutam esse.

Creauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciẽ eius spiritum vitæ, et factus est homo in anima viuente *Gen*. 2. 7. Hic per animã viuentẽ, sensitiuam animã per quam homo in hoc mundo viuit intelligit per spiritũ vitæ seu vitalem spiritũ immortalem, qui videtur non modo vitã viuere, sed vitas, quia post vitam animæ sensitiuæ adhuc viuit, vt *Abraham, Isaach* & *Iacob* post mortem viuunt, cum Deus dicat se esse Deum *Abraham* & Deum *Isaach* & Deum *Iacob*, post eorum obitum, etiamsi ipse non sit Deus mortuorum, sed viuentium Et adhuc viuet postquam mortalia omnia erunt mortua sub resurrectione. Itaque merito vocatur ruah haijm spiritus vitarum, & videtur innumeras vitas viuere, quandoquidem innumera sæcula viuet. Aliqui hoc vertunt spiraculum vitæ, per id nihil aliud dissignantes quam respirationem & halitum hominis communem cum brutis. At mihi prior sententia magis probatur, vt magis solida, & alijs Scripturæ locis magis consona.

Ait quoque D. *Paulus* 1. *Thes.* 5.23, Vt integer spiritus vester, & anima & corpus, immaculatum seruetur in aduentum Domini nostri Iesu Christi, vbi vtitur vocabulo ὁλόκληρον quod significat totum integrale, seu partibus essentiale, seu in partes diuisibile. Et ita partes subiungere videtur, spiritum scilicet, animam et corpus.

Et Epist. ad *Hebræos* cap. 4.12. ait Viuum et efficax est Dei verbum, et penetrantius omni ancipiti gladio, pertingens vsque ad μερισμὸν seu partitionem animæ et spiritus, compagumque & medullarum &c. vbi si non mutemus verba contexus, inueniemus μερισμὸν significare partitionem, seu in partes diuisionem. Est ergo aliqua partitio quæ fit per gladium spiritualem verbi Dei, inter animam & spiritum. Si fiat partitio seu in partes diuisio, sequitur esse varias partes. Dices verbum Dei esse spirituale, verum est fateor, et ideo verbum spirituale potest spiritualem partitionem facere, at si hoc ita sit, quãtumuis spiritualis sit partitio, tamen partitio est, id est diuisio in partes non in facultates. Et quamuis gladius qui attingit vsque ad illam partitionem sit spiritualis, & partitio quoque illa spiritualis, tamen non sequitur partes esse perpetuo spirituales, aut quamlibet partitionem illarum partium spiritualem esse. Nam si gladius spiritualis ea spiritualiter partitur, cum carnem mortificat et spiritum regenerando viuificat, gladius carnalis corpus occidens alia ratione duarum illarum partium diuisionem expedit. Et quælibet mors seperationem partium illarum inducit. Posset etiam quispiam existimare D. *Paulum* per spiritum intelligere Dei spiritum qui fidelibus datur, at hoc nõ potest ita exponi, cum partitionis vocabulum denotet de partibus hominis mentionem fieri, non de charismatibus quibus hominis spiritus ornatur. Quinetiam D. *Paulus* docet fideles habere spiritum humanum, & præditos esse spiritu diuino, cum ait spiritum Dei testimonium reddere spiritui nostro, quod sumus Dei filij *Rom*.8. Nouimus etiam quomodo gladius viuus et efficax verbi Dei a D. *Petro* prolati pertigerit ad partitionem animæ et spiritus *Ananiæ* et *Saphiræ*, cum partem illam quæ est spiritus immortalis dispesceret ab anima sensitiua mortali.

Cum ergo spiritus et anima tanquam eiusdem totius, id est hominis partes sumantur, quæri potest cui partium tribuatur ratio ab eodem D. *Paulo*? Respondeo spiritui. Nam diuus *Paulus* ait quæ Dei sunt, neminem cognouisse, nisi spiritum Dei, neque quenquam hominum nouisse ea quæ sunt hominis, nisi spiritum hominis qui est in homine. Vides D. *Paulum* soli spiritui hominis tribuere cognitionem eorum quæ sunt hominis. Ergo spiritus hominis est præditus cognitione, et per consequens ratione. Merito igitur spiritus rationalis hominis dici potest, iuxta D. *Pauli* sententiam 1. *Cor*.2.11.

Queritur num spiritus hominis immortalis probari queat ex Dei verbo? Respondeo immortalem a *Salomone* statui *Ecclesiast*. 12. Dicit enim cum puluis ad puluerem redit, spiritum redire ad Deum qui dedit illum. Quomodo ad Deum redit spiritus? vt ad omniũ iudicem. Quomodo dedit Deus spiritũ? cum creando indidit. Hæc expono ne quis detorqueat hunc locum a me citatum, vt interdum aliqui detorquere conati sunt, sed sciant nos recto sensu accipere.

Per

Per spiritum hunc immortalem homo est Angelo homogeneus. Nam etiam Angeli sunt spiritus ministrantes gloriæ Dei. Possumus ergo asserere duplicem esse speciem spirituum creatorum rationis et cognitionis capacium, scilicet spiritus Angelicos & humanos per eundem spiritum dicimur esse genus Dei, et Deus dicitur esse pater spirituum, nouimus enim vim adoptionis per Christum, vnigenitus enim filius non obstat regenitis, et adoptiuis, sed ipse est fundamentum totius adoptionis.

Et quia spiritus humani Angelicis conformes sunt et homogenei, ideo fit vt Diuus *Paulus* doceat futurum, vt corpora nostra animalia resurgant spiritualia, & tunc etiam Christus docet nos futuros similes Angelis. *Math.* 23, 30.

At sicut per spiritum sumus conformes Angelis, sic per animam sensitiuã, sumus bestijs homogenei, & per illam inter animalia recensemur. Dicimus enim animalia quædam esse rationalia vt homines, quædam irrationabilia, ut bruta.

Animam sensitiuam hominis materialem esse apparet eo quod sentit. Si enim immaterialis esset, cognosceret ipso intellectu, non sensu. Quoniam res quæ sub sensum cadunt sunt materiales & elementares & habent sympathiam aut dyspathiam *ὁμόνοιαν* aut discrepantiam cum elementaribus, & elementaria afficiunt aut ab elementaribus afficiuntur, in elementaria agunt & ab eis patiuntur, ex qua mutua reciprocatione elementarium inter se oritur sensus & discretio sensuum. Atque eadem ratione docere possumus spiritũ immortalem, seu animam rationalem in se non habere facultatem sensitiuã, sed intellectiuam præesse vero sensitiuæ. Addiscit tamen multa ex sensu, etiamsi sensum animalem in se non habeat, quia sensui animali præest. Anima rationalis habet quoque suum sensum sicut anima sensitiua, sed suo more eius sensus internus est, & præest externo, & cum ipsa sit immaterialis, non afficitur elementis materialibus, vt frigeat hyeme, & incalescat æstate, nouit tamen frigus & calorem ex ipso sensu animæ sensitiuæ.

Animam quoque materialem esse apparet, ex eo quod sanguinea est, sanguinea probatur non poetica illa voce, quæ tamen vera loquitur, sanguineam vomit ille animam, sed ex libro *Leuit.* cap. 17. 14. vbi generaliter ait animam omnis carnis esse in sanguine. Vnde dixit filijs Israelis sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est. & quicunque comederit illum interibit. Ibi vides animam cuiuscunque carnis absque vlla exceptione esse in sanguine. Ergo anima bruti est in sanguine quia brutum caro est, & similiter homo dicitur caro *Gen.* 9, ergo eius anima sensitiua est in sanguine & animam illam sanguineam et sensitiuam habet homo communem cum brutis. Et hæc ratio est cur Deus nolit vt *Israelitæ* comedant sanguinem Bruti, quia anima bruti est in sanguine, et non oportebat manducare animam sanguinis. Consimili ratione non vult Deus vt homo effundat hominis sanguinem, sed testatur se velle requirere hominis sanguinem, sanguinem inquam animarum nostrarum de manu hominis, *Gen.* 9. 4. vbi etiam consimili ratione prohibebat Deus esum sanguinis. Hinc luce clarius apparet scripturã tribuere homini animam sanguinis seu sanguineam consimilem

lem animæ bruti, quod de anima sensitiua sentiendum est, non de anima rationali. Porro sicut per spiritum immortalem conformes sumus Angelis, sic per animam sensitiuam conformes sumus brutis. Et ex hoc apparet distinctas esse partes in homine, videlicet spiritum immortalem et animam sensitiuam vt non immerito D. *Paulus* constituat partitionem inter animã & spiritum.

Cumque anima sensitiua sit terrena sicut anima brutorũ, eget terreno cibo vt anima brutorum. Hinc fit vt in libro *Threnorum* hæc contineantur. Omnis populus eius gemens et quærens panem, dederunt preciosa quæque pro cibo ad refocillandam animam, et rursus sacerdotes mei et senes mei in vrbe consumpti sunt, quia quæsiuerunt cibum sibi vt refocillarent animam. Et *Math.6.25.* Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plusquam indumentum?

At sicut anima sensitiua hominis brutorum animæ homogenea et terrena, eget terreno cibo: Ita et spiritus immortalis hominis conformis spiritui Angelorum nutritur cibo & pane Angelorum cœlesti. *Psalm.77.24.* qui est panis de cœlo descendens id est charisma spiritus sancti quo caro Christi plena est, ex quo dixit Dominus spirtus est qui viuificat *Ioh.6,* sic caro carnali cibo nutritur, & spiritus, spirituali.

Et sicut spiritus hominis ex *Ecclesiast.12.* probatur immortalis, sic anima sensitiua hominis mortalis probatur ex eo quod dixit *Samson,* Moriatur anima mea cum P*hylistæis, Iudic.16.30.*

Nouimus etiam angelos aduigilare fidelibus, sic cum homines prædıti sint spiritu humano rationali, conformi Angelico, fit vt ij qui aduigilant ecclesiæ cura sua spirituali Angeli vocentur *Malch.2.& Apoc.1.* vbi *Caius* Episcopus Ephesinus vocatur Angelus ecclesiæ Ephesinæ, & *Polycarpus* Episcopus Smyrnensis vocatur Angelus ecclesiæ Smyrnensis. Et ij qui spiritu suo humano sequuntur instinctum charismatis spiritus sancti quo præditi sunt, vocantur spirituales homines.

At ij qui sequuntur affectus animæ sensitiuæ, quæ est pars hominis brutorũ animæ homogenea dicuntur animales homines, et comparantur animalibus. Ita vt *Psalm.49.* comparet et similem proferat iumentis hominem qui nõ habet intellectum, id est qui non sequitur partem intelligibilem seu rationalem, sed affectum brutalem animæ sensitiuæ. & *Psalm.32.* ait. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Ostendens eos qui non excolunt intellectum suum esse similes equis & mulis, vt superius dixit esse similes iumentis. Hoc fit quia eorum anima est conformis animæ equi & muli. Ex eo apparet spiritum immortalem hominis qui est ipsius anima rationalis, esse in homine vt equitem equo insidentem, hominem vero ex parte animæ sensitiuæ esse equo persimilem, cui insidetur, sicut autẽ eques equo insidens eũ pro libito agitat, et huc & illuc ducit et reducit, et si velit incedere incedit, si cursitare, cursitat, si in girũ vertere, aut stare aut retrocedere, aut tale quid agere agit, & quod vult equum suum addiscere in tenera ætate edocet, sic etiam homo seipsum instruit, & spiritus rationalis corpus suum exercet vt habilius ad

quælibet peragenda fiat.

At sicut interdum fit vt equus refractarius equiti suo resistat & contranitatur, aut velit huc & illuc herum suum impellere, ita interdum fit vt sensitiua anima & ei adherens caro resistat immortali spiritui, & contraria expetat, hinc fit vt spiritus concupiscat aduersus carnē et caro aduersus spiritum. Hinc illa a D. *Paulo* celebrata pugna carnis aduersus spiritū, & spiritus aduersus carnem, quæ præcipue cernitur in regenitis, quos caro terrena ad terrenas res trahere conatur, spiritus vero ad cœlestia aspirat.

Sicut autem videmus interdum homines desides & soccordes equis insidētes, potius ab equis regi quam equos suos regere, ita etiam aliqui homines potius reguntur affectu carnali animæ sensitiuæ, quam eam regant, & ij a Psalmista assimilantur iumentis, nam certe homo equo insidens, si equum regere nesciat, sed se ab equo regi patiatur, is est suo equo persimilis, & vilior equo suo, & tales sunt homines qui carnalibus affectibus indulgent. At verbū Dei est gladius anceps pertingens ad partitionem animæ et spiritus, & is efficit vt spiritus immortalis separetur & sanctificetur ab affectibus carnis & animæ sensitiuæ, & adhæreat spiritui Dei.

Ait D. P*aulus* concupiscentiam carnis non subijci legi Dei, quinetiam subijci non posse. Vnde hoc quæso? quia anima sensitiua in homine non magis est capax rationis quam in bruto, & cum non sit capax rationis & intellectus, non potest subijci legi Dei. Ideo habemus peccatū in nobis inhabitans, at D. P*aulus Rom.* 7. docet se adhærere mente & voluntate legi Dei, sicut in membris habebat peccatum, quoniam inest concupiscentia in anima sensitiua, cui adhæret totus homo, nisi gladio verbi Dei fiat spiritus et animæ spiritualis seperatio.

Cæterum hæc expositionis via exactior est, quam si diuidas hominem in duas tantum partes, scilicet animam rationalem & corpus, & tribuas animæ rationali tres facultates, vegetationis, sensus, & rationis. Nam si anima rationalis habeat in se facultatem sentiendi & vegetandi, quomodo poterit sensus animalis contra spiritualem intellectum pugnare? Id est quomodo poterit eadem anima rationalis armare proprias facultates inuicem? certe nulla est ratio vt illud fiat. At si anima sensitiua partem vnam constituat, & anima rationalis aliam, facile potest fieri, vt anima sensitiua spirituali resistat, vt equus resistit interdum equiti.

Insuper si anima rationalis in se haberet vegetationem & sensum, certe moriente corpore perit vegetatio & animalis sensus, itaque anima rationalis moriente corpore amitteret aliquas ex suis facultatibus, quod est absurdum. At si duas ex ijs partes facias, facile intelliges animam sensitiuam interire, animā vero rationalem vna cum sua facultate rationali etiam post obitum permanere integram & illæsam.

Hoc tamen nossę oportet sacram scripturā interdum varijs vti phrasibus, ita vt ea ratione fiat vt aliquando nomine spiritus intelligat animam, vt cum *Salomo* ait, quis nouit num spiritus hominis ascendat sursum, & spiritus bruti descendat deorsum? Nisi forte dicas *Salomonem* per spiritum hominis intellexisse spiritum hominis ratione vtentis, & per spiritum bruti, intellexisse spiritum

ritum hominis brutalis. Nam etiam vix aliter potes sane explicare sententiam illam *Salomonis.*

Sic nomine animæ intelligi potest immortalis spiritus vbi Dominus ait, Ne metuatis eos qui possunt corpus occidere, animam vero occidere non possunt, sed eum timete qui potest corpus & animam conijcere in gehennam. At prior phrasis videtur antiquior et magis propria scripturæ qua rationalis pars vocatur spiritus: alia, qua spiritus vocatur anima est magis philosophica. Spiritus etiam a philosophis vocatur animus, anima vero etiam a philosophis vocatur anima & brutis tribuitur nō minus quam hominibus, at animus ita proprius est homini vt non tribuatur bruto.

P*lato* & *Aristoteles* in eo differunt, quod *Aristoteles* eidem parti, id est animæ rationali triplicem facultatē tribuit. P*lato* vero tres facultates, concupiscibilē irascibilem & rationalem in homine tribus partibus assignat, & probat non posse esse eandem partem, quoniam ea quæ in contrarias partes feruntur aut quorum vnum stat, aliud vero mouetur, non possunt idem esse. Et videmus concupiscentiam interdum moueri, rationem stare, concupiscentiam vnum expetere, rationem in contrarium ferri, & ei resistere, & contrarium exposcere. Quæ concupiscentia est carnis seu corporis vegetabilis ex qua extat concupiscentia cibi & potus et libidinis. Irascibilis quoque interdum contra rationem mouetur, vt bruta interdum contra homines irascuntur, & quamuis spiritus interdum irascantur, tamen non ea ratione qua bruta irascuntur, nam eorum ira est secundum eorum intellectum bonum aut malum. Et bruta non possunt cum ratione irasci etiamsi interdum secundum rationem irascantur. Homines vero si ita irascantur ut ratio eorum aliud suadeat, & in contrarium feratur, ex anima sensitiua irascuntur, cui sensitiuæ animæ resistit spiritus immortalis seu anima rationalis. Et quæso quomodo potuisset pugna esse in vtero *Rebeccæ*, si vnus tantum fuisset in eo embrio? nonne ex eo quod duo infantes in vtero erant? sunt in eodē horologio varij motus, quorum vnus sursum alius deorsum fertur, vnus dextrorsum, alius sinistrorsum, quomodo hoc posset fieri nisi variæ essent partes id est rotæ eidem motui inseruientes? Proinde sententia platonica, quam exponit in Timæo, et nono de Republica, & adhuc expressius Libro quarto de Republica, præstat Aristotelica. Et verisimile est P*latonem* eam in Ægypto & Chaldea didicisse ab ijs a quibus Geneseos historiam didicit, & ea quæ de Deo & de Trinitate protulit, qui erant Iudæi, eo tempore quo prophetia florebat. *Aristoteles* vero sequutus est vanitatem Græcorum Philosophorum, neglecta præceptoris præstantiori sententia.

De mundi duratione.



Væri potest num liceat mundi durationem generalem vestigare. Respondeo licere seruata moderatione Christiana. Ait enim D. *Paulus* nobis datum esse Dei spiritum, spiritum libertatis, qui omnia scrutatur, imo vsque ad occulta Dei arcana. Et gloria Dei est occultare verbum verbique mysteria, gloria vero regum & Christianorum qui ad regnum Dei peruenire cupiunt, inquirere de verbo & eius mysterijs. Licet ergo inquirere Dei mysteria, & certe Deus maior est tempore, creator, creaturâ. Deus vero tempora creauit per Christum, & cum liceat quærere mysteria Deum & sacram Triadem spectantia & personam Christi sacratissimam, multo magis licebit inquirere de tempore a Deo creato. Dices me non inquirere posse, quare? quia dies decurtati sunt. Respondeo me iure posse, etiamsi dies decurtati sint, aliud enim est, de generali duratione loqui, & aliud de speciali decurtatione. Non ego quæro num liceat de illa decurtatione loqui, sed num liceat de generali duratione loqui. Est aliquis paterfamilias qui emit sex vlnas panni pro sex solidis vlna, & hoc scribi iubet in libro rationum mercatoris, alio tempore soluturus, & postquam pannum emisset pro necessitate aliqua ex illo detraxit dimidiam vlnam, aut tertiam aut quartam partem vlnæ aut quintam, ita vt incertum sit quantum detraxerit. Interim ipse antequam debitum soluisset mortuus est. Mercator petit ab eius hærede solutionem panni. Quid soluturus est hæres quæso? aut qua ratione illud inueniet? num ex panno residuo? Imo quæret non quot vlnæ panni remaneant, sed quod vlnæ prius erant. Sic & nos omittimus quæstionem de decurtatione dierum, & inquirimus priorem durationem. Et si dicamus generalem durationem mundi, nihil noui aut ex nobis proferemus sed sententiam antiquorum Prophetarum, certe puderet me sententiam Cerinthi aut Arrij, aut similis farinæ hominum proferre. At sententiam antiquorum Prophetarum sustinere cum Christiana moderatione, & debita circumspectione Christianum esse dico & Christiano honorificum. Dices neminem nouisse diem illum & horam, neque Angelos qui sunt in cœlo neque filium hominis, sed solum Patrem. Respondeo me etiam de die illo & hora, quod spectat ad specialem decurtationem non loqui, non enim ego volo ea præsumere me nosse, quæ Prophetæ non nouerunt, sed de mysterio Prophetis notissimo loqui possum. Non norunt Prophetæ antiqui diem illum & horam, quis asseret eos nosse, cum Christus contrarium doceat? At nouerunt generalem mundi durationem, quam etiam docuerunt. Etenim *David* dixit, *Psalmo*. 90. mille annos coram Deo esse tanquam diem hesternam, quod D. *Petrus* loquens de fine mundi exponit, dicens diem vnum coram Domino esse sicut mille annos, & mille annos sicut diem vnum. 2. *Pet*. 3. Certe si quis quæreret hanc quæstionem curiositate quadam vana, merito argui posset, at si quis eam vestiget ad celebrandam analogiam operum Dei, is tantum

abest

abest vt reprehendi debeat, quod potius factum laudabile est. Laudauit *Cicero* & celebrauit rationem & orationem. Certe eandem, & Christiani celebrare debent. Nam & Christus etiam logos vocatur quod latinis est ratio, & etiam oratio. Et in mundo nihil pulchrius ratione, nihil fortius veritate, at Christus qui est veritas est etiam logos, id est ratio, est etiam sermo, quod est ratione composita sermocinatio, hinc fit vt etiam Dei sapientia sit. Hinc fit vt cum Christus sit logos, & sapientia & veritas, Dei verbum sit fons & origo omnis rationis & sapientiæ & veritatis, & fundamentum omnis iustitiæ, nam ius ratione nititur, & iure iustitia. Hinc fit vt omnia opera *Petræ* sint perfecta quoniam omnes viæ eius sunt ius seu iudicium, suntque analogica quia ex logo procedunt, analogiæ enim logos est origo & fundamentum & probatio. Ex eo fit vt *Salomo* dicat Deum habere stateram iudicij in manu sua, & omnia opera eius esse vt lapides sacculi. Sunt enim pondera stateræ inter se analogica seu proportionalia. Ex quo fit vt cum Deus statera etiam tempus librauerit, ex analogia creationis deprehendi queat ratio durationis mūdi ex superius citato loco *Dauidis* a D. *Petro* exposito. Nam si dies vnus coram Deo sit sicut mille anni: Sex dies creationis sunt sicut sex mille anni durationis mūdi. Et regula aurea proportionis arithmeticæ illa analogia luce clarius elici potest. Nemo nouit diem illum & horam, at hanc generalem durationem norunt omnes Prophetæ tempore *Eliæ* Prophetæ. Nam hoc vulgatum erat in Schola *Eliæ* quæ vocabatur domus *Eliæ*, & ab illa Schola apud omnes innotuit. Itaque si hoc nos iam dicamus, non ea dicimus quæ nec Angeli nouerunt, nec filius hominis, sed ea quæ Prophetæ antiquitus & nouerunt, & tradiderunt. Antiquissimam Prophetarum traditionem illustrare Christiana non vetat doctrina. Ex hac doctrina *Eliæ Osea* Propheta hæc protulit de Christo Prophetans, post dies duos viuificabit nos, in die tertia exsuscitabit nos. Hoc enim expone ex Psalma 90. & 2. *Pet.* 3. pro duobus diebus sumes duos mille annos, ita vt scias de Christo hæc prolata fuisse, qui post bis mille annos nos viuificet, & tertio millenario, scilicet expletis duobus millibus annorum, nos a mortuis excitet. Hoc fuisse *Oseæ* notum & ab ipso prolatum constat ex *Oseæ* 6, 3. Hoc idem docetur non tantum in veteri Testamento: sed etiam in nouo, scilicet Apocalypsis 20. Nam illic proponitur Angelus de cœlo descendens qui filium hominis de cœlo descendentem repræsentat, & habentem clauem abyssi. Habuit etiam Christus clauem *Dauidis*, quæ aperit & nemo claudit, & quæ claudit & nemo aperit, qui etiam ad inferos descendit, & ligauit Satanam serpentem antiquum pro mille annis, deinde proponuntur animæ fidelium regnantes cum Christo mille annis, ita vt residui mortuorum non resurgant, donec illi mille anni compleantur. Itaque illic bis mille anni proponuntur, ab ipso Christo ad resurrectionem mortuorum constituti, videlicet mille anni carceris Satanæ, & mille anni regni animarū cum Christo. Hæc aperta & inter se consona docentur, non solum in veteri Testamento, sed etiam in nouo, non solum in nouo foedere, sed etiam in veteri. At aliqui fuerunt, quorum sententia improbata fuit, quia regnum mille annorum fidelium cum Christo, carnaliter exposuerunt, nos spiritualiter regnum illud sumimus, dicimus enim fideles cum Christo regnare regno spirituali ab eo

 tempo-

tempore quo hi mille anni cœperunt, nec tantum ab eo tempore, sed & ab antiquo, & duraturum hoc regnum donec reliqui mortui resurgant, nec tantum eousque sed & in æternum. Quod vero hic videtur coarctari intra limites mille annorum ita sumendum est, vt limes ille positus sit ad ostendendum tempus resurrectionis, non ad constringendum tempus regni fidelium cum Christo, qui in æternum cum Christo regnaturi sunt. At non in æternum cum Christo regnabunt ante resurrectionem, si quis enim hoc diceret, ea ratione resurrectionem eluderet. At ante resurrectionem regnaturus non est pluribus annis quam mille post primum millenarium, ex doctrina superius exposita, num minus regnaturæ sint, non mei propositi est hoc explicare, quoniam decurtationem nolo hic exponendam suscipere, sed hoc dicam cognita generali mensura, si decurtatio innotescat & residuum innotescet. At ego nolo eousque progredi sed tantum ea quæ pertinent ad generalem durationem obiter exponere. Quædam enim nobis in mysterijs relicta sunt, & nobis quædam alijs in mysterio sunt relinquenda. Oportet vt quisque se proprio pede metiatur, & vt aliorum etiam captum agnoscat.

Hos sex mille annos Doctores aliqui in tres ætates diuiserunt. Primam ætatem constituerunt legis naturæ non scriptæ, complectentem annos bis mille: secundam duorum quoque millium annorum sub lege *Abrahamo* & eius semini tradita. Tertiam sub lege gratiæ a Christo allata. At hæc ita generaliter posuerunt absque vlla nimis exacta inuestigatione.

Ijs ita positis alia suboritur quæstio de duobus mille annis legis gratiæ, a quo tempore Christi sint exordiendi, num a natiuitate Christi, aut ab initio prædicationis *Johannis*, aut a Christi morte & resurrectione. Videtur a Christi natiuitate, a qua etiam inualuit, vt anni gratiæ, & humanæ salutis supputentur, & etiam Apocalypsis hoc mysterium aperiens 20. cap. proponit Angelum de cœlo descendentem, itaque videtur hoc referri ad descensum eius qui de cœlo descendit Christi. Quinetiam & Angeli nunciantes pastoribus natalem Christi, dixerunt gloria in excelsis Deo, & in terra pax &c. Videtur vero pacem non potuisse in terra denunciari, nisi prius vincto eo qui suscitaturus erat bellum *Gogi* & *Maggogi*. Hæ rationes grauissimæ sunt & maximi ponderis. Ex alia parte si quæramus, num hæc ad prædicationem *Johannis* referri debeant, videbitur quoque huc incipi posse, quoniam Christus dixit legem & Prophetas vsque ad *Johannem* durasse, itaque vsque ad illum ætas legalis videtur supputanda, a *Johanne* vero regnum cœlorum, & ætas gratiæ. Si quis ad Christi & Apostolorum & septuaginta Discipulorum ipsius prædicationem referre contendat, non carebit ratione. Nam prædicantibus septuaginta Discipulis, & Dæmonia eijcientibus, Christus ait illis se vidisse Satanam de cœlo tanquam fulgur cadentem. *Luc.* 10. 18. Ego quidem non diffiteor me priorem vt potiorem sententiam amplexum fuisse, vt eam quæ maiorem omnium supradictarum habet verisimilitudinem, vt in ea communem sequebar sententiam quæ communis & recepta opinio supputat annos salutis a nato Christo, non autem ab ipso mortuo, etiam si mysterium redemptionis fuerit sub ipsius Christi morte et resurrectione completum. At legens historiam Ecclesiasticam *Eusebij*, inueni Papiæ sententiam, quam vt fabulosam reijcit


Eusebius,

Eusebius, et satis confuse traditur. At in Epitome *Eusebij* a *Ruffino* expositi eius sententia clarius proponitur, seu *Ruffinus* habuerit suo tempore exemplaria *Eusebij* magis correcta, seu Papiæ scripta viderit. Ait ergo se didicisse ex traditione eorum qui Christum viderant & audiuerant, post mille annos a resurrectione saluatoris, Christum regnaturum corporaliter. Illam sententiam vt peregrinam & fabulosam improbat *Eusebius*, vt etiam improbanda est quatenus corporale regnum Christi promittit, at non quatenus traditionem Discipulorum Christi narrat. Eius narratio videtur esse vera, sed eius expositio erat falsa, quia Christus quidem post mille annos a resurrectione sua regnaturus quidem erat, at non corporaliter. Et in eo quod ait Christum regnaturum post mille annos a resurrectione Christi, nihil aliud refert, quam quod continetur Apocal. 20. Et eius narratio, sublata circumstantia regni corporei, & accepto regno spirituali, loco corporei, potest percommode adhiberi, ad exponendum 20. cap. Apocalyp. Hæc a nobis generaliter proponuntur, relinquentes alijs liberum iudicium et delectum potioris sententiæ, Insuper in ijs non attingimus tempus decurtationis.

At hoc dicimus finem mundi vocari iudicij diem. Et eum non esse solum diem iudicij, nec primum, sed septimum. Fuerunt enim quinque dies iudicij, vnus imminet qui est dies futuri casus Antichristi, dubitari vero potest, num decurtatio dierum referri debeat ad diem vltimum iudicij aut ad penultimum hoc ego refero ad Sacerdotem habentem Vrim & Thumim, vt loquitur liber *Nehemia*. Hoc tamen obiter dicam, videri aliquam esse decurtationem circa tempus regni bestiæ, quod apud *Danielem* proponitur sub mensura quæ continet tempus & tempora & dimidium temporis, et eadem mensura proponitur etiam in Apocalyps. At illa mensura apud *Danielem* ponitur esse annorum mille ducentorum & nonaginta. In Apocalypsi vero mille ducentorum & sexaginta, quæ mensura breuior est altera annis triginta. Num vero illa sit decurtatio de qua loquitur Dominus nec ne, ipse nouit, decurtatio quidem esse videtur at num ea sit de qua Dominus loquitur nostri non est instituti ea vestigare. Quilibet potest seipsum exponere, & quilibet est suorum dictorum optimus interpres, sic liceat nobis nos ipsos ex æquo & bono exponere.

Plus posse quam velle, plus nosse quam fari.

FINIS.






Tituli capitum partis. I.

Pars. II.

Paradoxa tria.



END

AD